

LIBRARY
OF THE
Theological Seminary,
PRINCETON, N. J.

BX 5037 .B85 1846 v.3
Bull, George, 1634-1710.
The works of George Bull



36-5
4

Princeton Seminary Library

Part of a donation of Mr^r
R. L. and A. Stuart. N.Y.

1854

THE WORKS
OF GEORGE BULL, D.D.

LORD BISHOP OF ST. DAVID'S,

COLLECTED AND REVISED

BY

THE REV. EDWARD BURTON, D.D.

FORMERLY STUDENT, AFTERWARDS CANON OF CHRIST CHURCH AND
REGIUS PROFESSOR OF DIVINITY.

TO WHICH IS PREFIXED

THE LIFE OF BISHOP BULL,

BY

ROBERT NELSON, ESQ.


VOL. III.

OXFORD:
AT THE UNIVERSITY PRESS.

MDCCCXVI.



Digitized by the Internet Archive
in 2014



LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

JOANNES ERNESTUS GRABE.



ANNUS excurrit, ex quo amicorum quispiam me compellavit, desiderans, ut novæ operum omnium clarissimi D. Bulli editioni præfationem præmitterem, qua debitis ea laudibus exornare, atque illorum usum iis, quibus forte non satis innotuerint, præsertim exteris, monstrare anniterer. Accessit mox bibliopola, qui, cum inaudivisset, me olim de illis, quæ vir reverendus pertractavit, dogmatibus theologiceis quædam in privatum usum conscripsisse, omnino voluit, ut relectis schedis meis, si qua occurrerent, quæ ad ulteriorem illustrationem vel confirmationem eorundem pertinerent, ista parallelis locis vel capitibus subnecterem; siquidem et ipse doctissimus Bullus novum hactenus ineditum librum addere constituerit. Ego utrumque primo detrectabam, tum quod iter in patriam suscipiendum, aut eo aliquantisper dilato alia potius negotia peragenda in animo haberem; tum quod probe nossem, laudati doctoris scripta per omnem eruditum orbem adeo celebrata, ac ipsa ita elaborata esse, ut nullius, multo minus

meis, vel encomiis indigerent, vel assumptis. Non destitit tamen bibliopola me urgere, imo et sollicitare cœpit, ut præcipuam novæ hujus editionis curam susciperem; quandoquidem omnes tractatus, absente auctore olim excusi, mendis typographicis scaterent, quibus sensum sæpe obscurum redditum, aliquando etiam prorsus depravatum, conquererentur eruditi; et periculum esset, ne nunc quoque in absentia ejus, partim ob infirmam valetudinem, partim ob publica officia, recudendi iidem magis adhuc corrumperentur. Unde rem ulterius mecum perpendens, ac considerans, peropportunam sese mihi offerre occasionem, qua non modo singularem meam magni nominis Bulli venerationem publice testatam facerem, sed et una cum scriptis ejus sonoram orthodoxæ in duobus præcipuis Christianæ fidei articulis doctrinæ ab illo defensæ professionem ipsemet ederem, ac simul debita in emendandis ac expoliendis adeo egregiis operibus accuratione, reipubl. literariæ, præsertim Anglicanæ, cui plurimum debeo, quodammodo inservirem; id operis tandem in me suscipiendam duxi. Neque profecto sine divini Numinis providentia factum puto, ut postquam eximii antiquæ ecclesiæ Patris, S. Irenæi, libros adversus hæreses sui ævi, quæ unitatem Dei impugnabant, in publicum emissem, mox ansa daretur accuratius edendi tractatus haud minus excellentis inter modernos theologos viri adversus nostri seculi tenebriones, qui S. Trinitatem in una Deitate inficias eunt. Sic enim videor mihi fortissima manibus Christianorum fratrum arma insinuare, quibus catholicam fidem semel

sanctis traditam, sed haud semel, nec ex eadem parte, ab impiis hominibus impugnatam, strenue certando, utrinque defendere queant; siquidem “fides catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in Unitate veneremur,” prout in symbolo, quod vulgo Athanasianum audit, canit ecclesia. Atqui hanc catholicam fidem ad salutem necessariam esse, licet non solam sufficere, sed et bonis fidelium operibus vitam æternam ex gratia Dei reddendam esse, sicuti modo dictum symbolum clare sonat, ita et doctissimus auctor noster in diversis tractatibus fusius explicavit, ac egregie demonstravit.

Sed ut summam ac methodum, indeque pendentem dignitatem atque utilitatem horum librorum distinctius tradam, in duas eosdem distribuo classes, in quarum priori illos colloco, quibus fundamentalis, ut vocari solet, sive maxime necessaria sanctissimæ Trinitatis, et præcipue Deitatis Christi fides defenditur, atque ab objectionibus hæreticorum vindicatur; in posteriori illos pono, quibus sanus articuli *de Justificatione* sensus traditur et confirmatur, atque difficiliora circa hanc materiam loca Scripturæ, præsertim Epistolarum S. Pauli, explanantur, ac a corruptelis adversariorum liberantur. Priores quod atinet, clariss. Bullus Deitatem *Λόγου* haud e Scripturis prophetarum, apostolorum, atque evangelistarum demonstrandam sibi sumpsit, ne rem ab aliis toties actam satisque notam denuo ageret; sed illam e scriptis martyrum, confessorum, et doctorum ecclesiæ apostolicæ ante concilium Nicænum defendendam suscepit; ac cum hæretici temere pronuntiarent,

Patres in ista synodo novam condidisse fidem, ipse contra clarissime probavit, eorum doctrinam ἐκ πατέρων εἰς πατέρας διαβεβηκέναι, ut Athanasius lib. de synodi Nicænae decretis scripsit, id est, a “ Patribus “ ad Patres derivatam esse,” et ex ipsa apostolicorum discipulorum schola per continuæ successionis tramitem ad posteros decucurrisse. Id abunde præstitum est in *Defensione Fidei Nicænae, ex Scriptis, quæ extant, catholicorum Doctorum, qui intra tria prima Ecclesiæ Christianæ Secula floruerunt; in qua obiter quoque Constantiopolitana Confessio, de Spiritu Sancto, antiquiorum Testimoniis adstruitur.* Nam sicut in symbolis ecclesiarum Deitas Filii præcipue ac pluribus declaratur verbis, Spiritus S. divinitate obiter solum vel breviter indicata; ita et reverendus Bullus in hoc tractatu illam magis quam hanc defendere satagit; quoniam si vera Filii Dei fides hæreticorum animis ingenerari posset, Spiritus S. quoque confessionem haud gravatim amplecterentur. Cæterum insignis hujus operis œconomiam ac partes singulas ipse auctor tradidit tam in fine præemii, quam in principio epilogi, ad quæ loca lectorem remitto. Verum enim vero quoniam haud desunt, qui, cum veram Filii Deitatem ac integrum S. Trinitatis mysterium se credere ac tenere affirmant, ejus tamen fidei necessitatem negant, rati scilicet, vitam æternam adepturos, qui quocunque modo vel sensu Jesum Christum Filium Dei confitentur; in quorum numero fuit M. Simon Episcopus; hinc adversus illum aliosque clariss. auctor noster prioris libri quasi appendicem edidit tractatum, cui titulus,

Judicium Ecclesiæ catholicæ trium primorum Seculorum de Necessitate credendi, quod Dominus noster Jesus Christus sit verus Deus, assertum contra M. Simonem Episcopium aliosque; ut sicut in illo ipsam fidem Nicænam defendit, ita in hoc anathematismum eidem annexum tueretur; iis, quæ ex historia antiquissimorum hæreticorum, ac formulis priscorum fidei symbolorum, nec non illustri Dialogi Justinii M. cum Tryphone loco in contrarium objecta sunt, plenissime refutatis, imo in caput adversariorum retortis. Denique cum Danielis Zuickeri ductu moderni in Anglia Unitarii minus in antiquitate ecclesiastica versatis persuadere conati sint, Justinum Martyrem, Simonis Magi deliriis, ac Orphei atque Sibyllarum versibus ex illorum officina prodeuntibus circumventum, nec non Platonicorum hypothesis aliisque rationibus inductum, Λόγου ante conditum mundum præexistentiam atque divinitatem primum Christianis catholicis proposuisse, ac plurimis imposuisse; doctissimus Bullus lepidæ hujus fabulæ refutationem, jam olim conscriptam, nuper vero recognitam, ac data ab adversariis occasione auctam, nunc demum erudito orbi obtulit; cujus singula capita, sive eorum summas, ex indice est cognoscere.

Atqui ob assertam hunc in modum Deitatem Salvatoris nostri tanto majorem clarissimus auctor noster meretur laudem, quod quidam haud ignobiles theologi istius ecclesiæ, quæ sola se S. Patrum doctrinam tenere ac recte intelligere vane gloriatur, horum antiquissimorum suffragia Arianis temere largiti,

causam hanc turpiter deseruerint, et nullus illorum argumentum pro catholica hac fide ab apostolica traditione petatum debite deduxerit, ac solide vindicaverit. Unde ipsos illius ecclesiæ, Romanæ videlicet, præsules aliquos, eruditione ac candore præ aliis claros, doctissimi auctoris nostri priores duos tractatus hanc in rem editos maximopere commendasse, ex ore et literis eorum, qui cum illis conversati sunt, una mecum plures norunt. Cæterum non modo novis Arianis atque Socinianis, sed et pontificiis quibusdam sophistis telum, quod identidem evibrare solent, hac opera omnino ereptum est. Nam quamvis hi, ubi cum imperitis, solam Scripturam, aliquando etiam imperite, allegantibus, res ipsis est, S. Patres, velut optimos sacrarum literarum interpretes ac certos apostolicæ traditionis testes audiendos, perpetuo crepare soleant; tamen, ubi prudentiores pariter ac sapientiores offendunt adversarios, qui ex ore primævorum ecclesiæ doctorum se suamque causam judicari haud refugiunt, dissonam plane canunt cantilenam, non tam antiquæ catholicarum ecclesiarum traditioni, quam præsentis Romanæ sedis definitionibus, post motam controversiam factis, standum esse oggannientes, ac cum priscis Judæis, idololatriæ ob thuris incensum creaturis oblatum convictis, nunquam non clamantes, *Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini*, Jer. vii. 4. *Non peribit lex a sacerdote, nec consilium a sapiente, nec sermo a propheta*, Jer. xviii. 18. Quos ubi de tam absurda responsione redargueris, mox audias hoc æque vel magis absurdum effutientes,

(expertus hæc scribo,) “ Patres in concilio Nicæno
 “ olim congregatos contra plurimorum antiquiorum
 “ Patrum sententiam τὸ ὁμοούσιον et συναΐδιον Filii Dei
 “ definivisse; ac proinde in aliis controversiis idem
 “ episcopis ac doctoribus Romanæ ecclesiæ præterito
 “ seculo in synodo Tridentina convenientibus factu
 “ opus vel licitum fuisse.” Istiusmodi vitilitigatori-
 bus quomodo os obstruendum sit, illi solum, illi sal-
 tem optime noverint, qui memorata doctissimi Bulli
 scripta diligenti manu versaverint.

Progredior ad alteram classem tractatum reve-
 rendi auctoris nostri *de Justificatione*; quos licet
 prius scriptos, posteriori tamen loco ponendos existi-
 mavi, quod in controversiis minus necessariis enodan-
 dis atque decidendis versentur. Et quidem primus
 horum, scilicet “ Harmonia Apostolica, seu binæ Dis-
 “ sertationes, quarum in priore doctrina D. Jacobi de
 “ Justificatione ex operibus explanatur ac defenditur;
 “ in posteriore consensus D. Pauli cum Jacobo liquido
 “ demonstratur;” is, inquam, abunde præstat, quod
 titulus pollicetur, ac sanctissimos apostolos, quos prava
 aliorum interpretatio tanquam inimicos inter se pug-
 nantes commiserat, ad amicam redegit concordiam,
 imo illos nunquam discordes vel sibi adversos fuisse
 luculenter ostendit. Cum autem Animadversiones in
 hunc librum scripsisset Thomas Gatakerus, Londi-
 nas, ac eidem Harmoniæ occinuisset Thomas Tullius,
 S. theologiæ professor, atque Aulæ S. Edmundi
 apud Oxonienses præfectus, edita, quam inscripsit,
Justificatione Paulina, reverendus Bullus duos hosce
 adversarios duplici tractatu refutavit, *Examine sci-*

licet *Censuræ, seu Responsione ad quasdam Animadversiones* ante dicti viri, atque *Apologia pro Harmonia ejusque Authore, contra Declamationem Thomæ Tullii, &c.* quorum prior in egregia plane Appendice ad Examen Animadversionis XVII. occurrit etiam D. Trumanno, qui adversus doctrinam, in laudata Harmonia propositam, Anglice evulgaverat libellum cum hac inscriptione, *Conatus corrigendi invalescentes quasdam Opiniones Doctrinæ Ecclesiæ Anglicanæ contrarias*; ac præcipua istius libri fundamenta evertit. Cæterum tribus hisce tractatibus doctissimus auctor noster doctrinam de justificatione cum annexis, ac præcipua S. Pauli de illis dicta, vel in se quadantenus obscura, vel novellis quorundam commentis, qui se incognitam quasi de cœlis lucem iis intulisse gloriabantur, magis adhuc obscurata, adeo mirifice illustravit, ac modo dictas adinventiones ita clare refutavit, ut jam, Deo sit gratia! vix ullum hic in Anglia noverim theologum alicujus nominis vel doctrinæ, qui non cum reverendo Bullo in omnibus, vel saltem præcipuis thesibus consentiat; quod et de mea tenuitate profiteri haud erubesco, imo hoc gloriæ mihi duco. Fuere quidem, qui cum primum laudata scripta in lucem prodiissent, aperto ore clamitarunt, eorum auctorem a primorum reformatorum, Latheri præcipue ac Calvinii, nec non multorum celeberrimorum olim in ecclesia Anglicana theologorum placitis longe discessisse, ac insuper honori illorum, si forte erraverint, male consuluisse, dum lapsus eorum publice confiteri, imo dogmata ab istis magno cum zelo

defensa impugnare haud reformidavit. Sed illorum clamores aliquanto post cessarunt, ac bona tandem causa, Deo propitio, hac in parte triumphavit.

Ast quid tamen ad objectionem istam, quam exteros quosdam protestantium doctores clariss. Bulli scriptis de Justificatione adhucdum obvertere novi, respondendum est? Respondit ipse jam pridem in *Apologia contra Tullium*, sect. I. clare professus, iniquum prorsus, ac Anglicanae quoque ecclesiae principiis incongruum esse, ut veritati, in S. Scriptura et unanimi catholicae ecclesiae consensu fundatae, neoterici cujuscumque doctoris, quisquis etiam ille fuerit, auctoritas praeferatur; siquidem canone in synodo provinciali anno 1571 sancito, et a regia Elizabethae majestate confirmato, concionatoribus ac proinde etiam reliquis doctoribus injunctum sit, “ Ne
 “ quid unquam doceant pro concione, quod a populo
 “ religiose teneri et credi velint, nisi quod consentaneum sit doctrinae Veteris aut Novi Testamenti;
 “ quodque ex illa ipsa doctrina catholici Patres ac
 “ veteres episcopi collegerint.” Allegat etiam ibidem Jacobi I. constitutionem, ac plura praestantissimorum Anglicanorum theologorum suffragia, quibus testati sunt, semet, post S. literas, “ Veterum doctorum consensum ambabus ulnis amplexos fuisse,
 “ neque quicquam sive in doctrina, sive in regimine
 “ ecclesiastico, quod ab eo alienum esset, admittere
 “ unquam voluisse.” Annuerat iisdem doctissimum Saraviam, ac ex ejus Defensione contra Beza, cap. 7. haec citat verba, digna quae hic recitentur; “ Fortassis negat dominus Beza, et quotquot cum eo
 “ sentiunt; at Patres rem tamen aliter intellexe-

“runt, quorum concordī et unanimi sententiæ, ab-
 “sit, ut Bezæ, aut Calvinī, aut alius cujuscumque ex
 “neotericis præferam judicium, et hos sapere, illos
 “vero desipuisse judicem.” Atque utinam plures,
 idem sentientes, suas ac antecessorum suorum sen-
 tentias atque S. Scripturæ expositiones ad hunc Ly-
 dium lapidem, catholicam scilicet traditionem, exa-
 minarent! tunc sane de pace ac meliori statu Chris-
 tianæ reipubl. bene sperare liceret. Verissimum
 quippe est, quod Rev. Bullus loc. cit. §. 3. scripsit;
 “Hanc esse optimam, imo hanc unicam rationem
 “esse, infelicissimas, quæ ecclesiam Christi hodie-
 “nam tot in partes sciderunt, controversias finiendi,
 “si post S. Scripturas primævam ac puriorem anti-
 “quitatem unice colamus ac revereamur ipsi, aliis-
 “que authores simus, ut ejus consentiens judicium,
 “ubi reperiri potest, (ut in omnibus certe reperitur,
 “quæ majoris momenti sunt; in cæteris vero libe-
 “rum cuique judicium suum, salva pace ecclesiastica
 “et Christiana, relinquendum,) religiose sequantur.”
 Ast quamdiu pastores ac doctores quilibet id sibi
 negotii datum credunt, ut majorum suorum ac ejus,
 cui addicti sunt, partis placita atque statuta, sive
 vera et recta, sive falsa et prava fuerint, quacun-
 que ratione defendant vel excusent potius, quam ingenue
 confiteantur ac debite corrigant; atque ita se optine
 de manibus defunctorum antecessorum, deque statu
 ecclesiæ, in qua vivunt, mereri putant, et ab aliis
 putantur; quamdiu, inquam, res isto stant loco, in-
 sanabiles sunt ecclesiarum scissuræ, ac desperata
 prorsus earum mala.

Sed, inquit aliqui, nonne in defunctos, vel etiam

vivos Patres nostros impii sumus ac Chamo similes, si errores vel defectus eorum publice confiteamur, hosque emendare conemur, cum id citra dedecus illorum vix fieri possit? Equidem concedo, impios esse filios, qui verenda dormientium sive dormitantium Patrum suorum temere detegunt; attamen ubi ea jam ab aliis detecta, vel ab ipsis illis aperte exposita fuerint, pietatis officium esse existimo, aversis quidem protervis oculis, ne illorum dedecus videntes rideant, sed potius lugentes fleant, modeste illa contegere. Tunc autem vere peccata nostra nostrorumve tegimus, quando humili confessione Deum flectimus, ut faciem suam ab iis avertat, ac seria emendatione defectuum facimus, ne amplius isti uspiam appareant; quippe *qui abscondit prævaricationes suas, haud prospere aget; qui autem confessus fuerit, et reliquerit eas, misericordiam consequetur*, Proverb. xxviii. 13. Optandum itaque, ut hæc verissima divinæ sapientiæ regula ab omnibus Christianis, ipsisque ecclesiarum doctoribus et rectoribus, magis observetur quam vana humanæ prudentiæ dictamina, quæ ideo prohibent plerumque, vel saltem ægre permittunt, ut nostros ac antecessorum nostrorum errores atque defectus libere confiteamur et corrigamus; ne scilicet maligni quidam adversarii ansam inde insultandi atque ex proprio ore nos judicandi protinus capiant. Quasi vero Christianos deceret, iniqua mortalium hominum opprobria, quæ forte tali facto ad breve tempus incurrimus, magis vereri, quam justum immortalis Dei judicium, quod certissime ista via in æternum effugimus. Sed ista hæc occasione obiter.

Redeo ad institutum, atque ad finem præfationis properans, brevibus indico, quod meum studium, quæ mea opera in hoc, quod modo prodit, voluntine fuerit. Primo omnes, priusquam prælo darentur, libros prioris editionis perlegens, plurima menda, quin portentosa aliquando typographica, (de quibus ipse doctissimus auctor in Harmoniæ Apostolicæ Postscripto ad lectorem conquestus est,) e medio sustuli; deinde singula quæque novæ hujus editionis folia relegens, sphalmata, quæ festinans correctoris oculus præterierat, omnia emendare conatus sum, ita ut pauca remanserint, eaque mea quidem, sed non typhotetæ manu debite emendata, ac proinde in fine operis designata. Cæterum non modo breves notas ad inferiorem paginæ oram excusas subinde inspersi; quibus, verbi gratia, ista in aliis reverendi auctoris nostri tractatibus loca, ubi eandem sententiam suam uberius explicavit, atque adversus aliorum censuras strenue defendit, debite indicavi, vel alia ad illustrationem dictorum pertinentia, tribus, quod aiunt, verbis observanda proposui; sed et prolixiora pluribus, iisque præcipuis, Defensionis præsertim Fidei Nicænæ ac Harmoniæ Apostolicæ capitibus subjeci Annotata, quibus theses ab auctore assertas aliis quandoque S. Scripturæ et S. Patrum testimoniis ac novis argumentis qualibuscunque confirmare, aut ea, quæ ibi allata fuere, ab objectionibus atque corruptelis adversariorum vindicare conatus sum. Sic quoad loca e scriptoribus apostolicis, S. Barnaba, Herma, et Clemente pro Filii Dei προῦπάρξει ante conditum mundum ac ὁμοουσίῳ ejusdem, sectione I. et II. Defensionis Fidei Nicænæ citata, illum qui in hisce depra-

vandis operam abusus est suam, Lucam Mellierum, præ aliis refutandum censui, quod nova quædam, a clarissimo auctore nostro pariter ac ab aliis intacta, licet magna ex parte futilia, attulerit. Vide Annotata ad sect. I. 2. et sect. II. 2. et 3. Sed Robertum Clarcke^a, Anglum, missum feci, partim quod is cram-
bem bis imo sæpius coctam in suo, quem inscripsit, Antenicænismo apposuerit, et nihil fere opposuisse primo intuitu mihi visus sit, ad quod non responsio jam in ipsa Fidei Nicænæ Defensione data sit, vel ejus ope facile dari queat; partim quod properantibus typographis haud tantum temporis mihi super-
fuerit, ut confusam testimoniorum atque objectio-
num e S. Patribus congeriem illius in certas classes distribuere, nedum iis refellendis manum admovere potuerim. Librum denique Anglice editum quod attinet, cui titulus, *Judicium Patrum circa Doctrinam de Trinitate, D. Georgii Bulli Nicænæ Fidei Defensioni oppositum*, neque istum oppugnandum sumpsit, quod id jam pridem clariss. Alixius peculiari libello fecerit, ac ipse reverendus Bullus quoque haud paucas istius auctoris strophas in tractatu nunc primum edito, *Primitiva et Apostolica Traditio*, &c. refutaverit.

Ad ultimum, de generalibus indicibus, ad calcem hujus voluminis annexis, profiteor, eos non meæ, sed reverendi Dn. Samuelis Grascome, ecclesiæ Anglicanæ presbyteri, diligentiae deberi, ac proinde illi pro iis gratiam habendam esse. Ego vero nullam

^a [Debuerat dicere *Gilbertum Clerke*, cujus Antenicænismo in fine ultimi voluminis respondetur.]

aliam pro meo qualicumque labore a te, lector benevole, expeto, nisi ut, quandocumque aliquem ex eo fructum ceperis, mihi bene optare, ac devota prece apud divinam Majestatem pro æterna salute mea intercedere haud graveris. Atque ad hanc ut tu quoque per rectæ fidei et veræ justitiæ tramitem ductu Spiritus S. pervenias, det misericors et omnipotens Deus per merita Jesu Christi, Θεανθρώπου, unici Domini ac Servatoris nostri, Amen. Scripsi, properante calamo, Londini, die 8. Junii, anno Christi MDCCIII.

[Sero post hunc tomum prelo emissum, comper-
tum habui asservatum esse in Bibliotheca Bodleiana
Harmoniæ Apostolicæ exemplar, in cujus margine
plurimæ notæ adscriptæ sunt; et e MS. Hearniano
(in eadem Bibliotheca reposito) discimus Notarum
authorem fuisse Thomam Barlow, dominæ Margare-
tæ apud Oxonienses Prælectorem Theolog. et
postea Lincolnensem episcopum, (de quo et præ-
lectionibus ejus contra Bullum habitis v. Vita Bulli,
p. 90. 181.) Hearnius quidem de hisce annotationi-
bus Grabio vel ignotis vel prætermisissis queritur: at
sine causa; illud enim omnino agebat annotator, ut
Bulli hypotheses penitus convelleret et refutaret.
Doctissimum et sanctissimum virum contra ecclesiæ
Anglicanæ doctrinam et articulos scripsisse acriter
contendit; et (quod magis admiratione dignum est)
Bullum quasi Socini et Socinianorum fautorem pluri-
mis conviciis insectatur. Nihil igitur dolendum est,
si in editione cum Grabiana tum nostra annotatio-
num, imo potius objurgationum, harum nulla fiat

mentio. Cui enim bono, singulis paginis et tantum non singulis argumentis alia argumenta vel dicta subscribere, quæ authoris nostri hypotheses flocci faciunt? Nempe is erat annotator, ut cum Bullo loquar, qui Solifidianorum partes *γυμνῆ κεφαλῆ* propugnarit; et ut lectores nostri de his ejus castigationibus aliquid sapiant, e margine *Epistolæ Nuncupatoriae* et *Præmonitionis ad Lectorem* has observationes exscripsimus, ut quæ censoris stylum et ingenium satis indicent, necnon (si modo vera sint, quæ notaverit) de *Harmonicæ Apostolicæ* authore et libri edendi ratione quædam a Nelsono omissa suppeditent.

Epist. Nuncup. p. iv. *Neque id festinanter.* Do. episc. Glocestrensis contrarium plane asseruit episcopo Wintoniensi^a Farnhamæ mense Junio 1670, dixitque se solum cursorie quædam (non omnia) legisse. Ulterius etiam dixit (episcopo Winton. an approbaret Bulli hypotheses rogitante) se non approbare sequentes Bulli hypotheses, sed plane oppositas scriptis suis publico editis docuisse^b.

Præm. ad Lect. p. vii. *Demum.* Recte. Nam 1º. vice-cancellaris Oxon. (D^{no}. D^{ri}. Say) librum hunc prelo permittendum obtulit, sed remisit vice-cancell. scriptumque (ipsis ecclesiæ Anglicanæ articulis et Homiliis contradictorium) damnat. 2º. Demum ideo illis obtulit quibus curæ non erant, vel non lecti, vel

^a Georgio Morley. Vid. Vita Bulli. p. 89.

^b Sed videat lector quæ de hac re ipse Bullus denuo professus est in Apologia VIII. 5. p. 470. vol. IV. h. ed. et præf. ad Examen. p. iv.

parum intellecti ecclesiæ Anglicanæ articuli, iisque permittentibus, non sine veritatis et ecclesiæ damno, prodiit hoc scriptum, in multis (si quid judico) erroneum et apocryphum.

P. viii. *Adversus Solifidianismum istum.* Quem Solifidianismum intelligit, nescio, sed adversus verum Christianismum (scio) pro Socino et Socinianismo animo fidenti sed imbelli militat.

Ib. *Quæque a nemine adhuc, &c.* Euge! primus ideo hanc hæresin justo volumine injuste propugnat: sed fallitur vir bonus; Fran. Turretinus (ut alios non paucos mittam) tractatum multo justiore de hoc ipso themate prius scripsit, et ob veritatem docte vindicatam utiliore.]

HARMONIA APOSTOLICA,

SEU,

BINÆ DISSERTATIONES,

QUARUM IN PRIORE

DOCTRINA D. JACOBI DE JUSTIFICATIONE EX OPERIBUS
EXPLANATUR AC DEFENDITUR :

IN POSTERIORE

CONSENSUS D. PAULI CUM JACOBO LIQUIDO
DEMONSTRATUR.

AUTHORE GEORGIO BULLO,

ANGLICANÆ ECCLESIE PRESBYTERO, AC SUDDINGTONIÆ,
QUE NUNCUPATUR SANCTÆ MARIE, IN DIOCESI
GLOUCESTRIENSI RECTORE.

Ἄπαντα ὀρθὰ ἐνώπιον τῶν συνιέντων, φησὶν ἡ γραφή· τοῦτ' ἔστι τῶν ὄσοι ὑπ' αὐτοῦ σαφηνισθεῖσαν τῶν γραφῶν ἐξήγησιν κατὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα ἐκδεχόμενοι διασώζουσι· κανὼν δὲ ἐκκλησιαστικὸς ἡ συμφωνία καὶ ἡ συμφωνία νόμου τε καὶ προφητῶν τῇ κατὰ τὴν τοῦ Κυρίου παρουσίαν παραδιδόμενη διαθήκη. Clem. Alexand. Strom. 6. [p. 803.]

Οὐδὲν λανθάνει ὑμᾶς, εἰς τὴν τελείωσιν εἰς Ἰησοῦν Χριστὸν ἔχητε τὴν πίστιν, καὶ τὴν ἀγάπην, ἣτις ἐστὶν ἀρχὴ ζωῆς καὶ τέλος. Ἀρχὴ μὲν πίστις, τέλος δὲ ἀγάπη. Τὰ δὲ δύο ἐν ἐνότητι γινόμενα, Θεοῦ ἐστίν. Τὰ δὲ ἄλλα πάντα εἰς καλοκαγαθίαν ἀκόλουθά ἐστι. Ignat. Epist. ad Ephesios. [c. 14. p. 15.]

Imprimatur.

Tho. Tomkyns, RR. in Christo Patri ac Domino,
D^{no} Gilberto, divina Providentia archiepisc.
Cant. a sac. dom.

Ex æd. Lambeth.
Apr. 19, 1669.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO SUO,
SUMME HONORANDO DOMINO

G U L I E L M O,
[NICHOLSON]

GRATIOSA BONISQUE OMNIBUS GRATISSIMA DEI
PROVIDENTIA GLOUCESTRIENSI EPISCOPO.

HONORATISSIME DOMINE,

LIBELLUS iste, qui tuis sub auspiciis præ-
lum adiit, prælo emancipatus ad te reverti-
tur; fretusque benevolentiae tuæ jam expertæ
fiducia, atque adeo de eadem in futurum im-
petranda pene securus, ad nominis tui lauda-
tissimi umbram ac patrocinium se tuto recipit.
Mirum in modum mihi placebat Ignatianum
illud^a: Μηδεὶς χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου τὶ πρᾶσσέτω τῶν
ἀνηκόντων εἰς τὴν ἐκκλησίαν· ideoque certum erat,
nihil theologicum, te inconsulto, in lucem edere.
Has itaque Dissertatiunculas in chartulis (iisque
minus nitide, quam potui tamen nitidissime,
exaratis) adhuc latitantes tibi imprimis sistendas
curavi, pro sententia tua vel æternis tenebris
occultandas, vel prælo excudendas. Perlegisti
(neque id festinanter) singula utriusque Dissertationis
capita, patientia tua prolixitatis tædium
devorante; perlecta comprobasti tuo calculo,
quin et (pro benevolo, quo me meaque omnia

^a Epist. ad Smyrn. p. 6. edit. Vossii. [c. 8. p. 36.]

complecti solitus es, affectu) tuis laudibus condecorasti.

Quid causæ est igitur, quamobrem aspectum tuum reformidet scriptum hoc nostrum, typographia egressum, quod tibi prius adeo placuerit?

Hac autem qualicunque opella, reverendæ tuæ paternitati consecrata, velim omnibus testatam meam adversum te gratitudinem. Quanto me favore complexus sis, jamdudum norunt fere omnes, quotquot me noverint. Tua imprimis ope in hac diocesi sors mihi obtigit vivendi non incommoda; tu nobis, ut studiis istis vacaremus, otium fecisti.

At quorsum hæc commemorem? tot ac tam præclaræ in te virtutes reluxerunt, ut vel eorum, quibus neque de facie, neque ullo (quod aiunt) beneficio innotescis, amorem tibi atque adeo venerationem conciliaveris. Eruditionem tuam scripta testantur palam edita; prudentiam, animum moderatum, modestiam, summam gravitatem singulari comitate conditam, illibatam denique vitæ sanctitatem exosculatur non modo Gloucestria tua, sed et Anglia pene universa.

Deum Opt. Max. ut has tibi eximias animi dotes conservet atque augeat, diu te huic cathedræ incolumem custodiat, nobisque serum tui in cœlos reditum indulgeat, ex animo veneratur,

Reverendæ tuæ paternitati devinctissimus,

G. B.

PRÆMONITIO

AD

LECTOREM.

DISSERTATIONES hascē alio fine (quem ut cognitum habeas, parum refert) primum inceptas, ac pro brevicula tantum et horaria exercitatione propositas, dein profluente copia et quasi æstu inventionis, et (quod in tam fœcunda materia usu venisse nihil mirum est) alia ex alia subnascente difficultate, ad hanc usque molem perductas, typis demum excusas tibi, lector benevole, tuoque candori exhibemus. Si audaciæ me insimulas, quod opus adeo impoliturum in lucem emittere, doctique hujus sæculi limatis judiciis subijcere non sim veritus, factum non defendo tritis scriptorum apologiis. Id fecimus, non tam victi amicorum inopportunitate, (quanquam neque eorum decerant suffragia,) quam persuasione adducti, fore, ut ex hoc nostro qualicunque labore tyronibus saltem in S. Theologia atque in Paulinis Epistolis minus exercitatis aliqua accederet utilitas. Horum judiciis in hac summe necessaria controversia rite formandis si opus hoc levidense vel tantillum inserviat, si ad S. Paulum legendum (assidua certe lectione dignis-

simum) ita iis adjumento futurum sit, ut ne *δυσνόητα*, quæ apud eum (in hac imprimis quæstione) non pauca occurrunt, in suam, gregisque suæ curæ in posterum tradendi, perniciem distorqueant; si denique adversus solifidianismum istum, seu verius libertinismum, (quem nonnulli in hac temporum fæce propalam et *γυμνῆ κεφαλῆ* docuerunt, plerique inanibus distinctiunculis incrustatum in concionibus, in scriptis, auditoribus, lectoribus suis insinuarunt, atque etiamnum insinuant,) opportunum iis antidotum porrexerit, satis superque habeo; aliorum suas semel receptas hypotheses perditæ amantium supercilia, odia, convitia flocci fecero. In materia certe utilissima versamur, quæque a nemine adhuc (quod sciam) pleno ac justo volumine adornata sit. Itaque dum prodeant meliora, his mecum utatur lector candidus; sed ea lege, ne expectet vel lautitias ac veneres vocum, rerum perspicuitate (in argumento præsertim tam aspero, tam difficili) contentus: vel methodum accuratam; siquidem proprii ingenii ductum secuti, nobisque magis quam aliis scribentes, singula fere, prout occurrebant atque in mentem venerunt, explicavimus. Hinc quædam loco non suo (quanquam, ut spero, non prorsus alieno) reperies. Alicubi (in posteriori imprimis Dissertatione) *παρεκβάσεις* offendes et *διεξόδους* satis prolixas, quæ ne tibi offendiculo sint, memineris, neque inutiles eas esse, neque omnino *ἀπροσδιόνους*. Si præterea, in Paulinis Epistolis explicandis, loci unius aut alterius sensum minus feliciter assecutus sim, ab æquo lectore (qui ad summam rei et scopum apostoli attenderit) veniam me facile impetraturum confido.

Quod reliquum est, si quid fructus ex hoc scripto nostro perceperis, de eo primum Deo omnis boni Fonti ac Largitori gratias agas; dein autorem, de evangelica licet justitia disputantem, peccatorum tamen (quod res est, et ex animo loquitur) maximum, fervidis apud Dominum precibus adjuvato, ac vale in eodem Domino.

CAPITULA

UTRIUSQUE

DISSERTATIONIS.

DISSERTATIONIS PRIORIS

INTRODUCTIO.

SUSCEPTI operis difficultas. Methodus observanda. P. 1.

CAP. I.

Sensus Jacobi exponitur. Quid significet *δικαιοῦν* in Novo Testamento. Multis testimoniis evincitur, vocem istam accipi sensu forensi pro *justum censere*, seu *pronunciare*. Particula *ἐξ* apud Jacobum notat tantum causam sine qua non, sive conditionem præcedaneamP. 4.
AnnotataP. 11.

CAP. II.

Conclusio Jacobi argumentis adstruitur. Argumentum primum ab aliis Scripturarum testimoniis. Quorum duæ classes; prima eorum, quæ de obedientia tanquam ad justificationem necessaria generatim loquuntur: altera eorum, quæ opera pœnitentiæ speciatim postulant. Occurritur exceptioni adversariorum. Fidei et pœnitentiæ idem est in justificationis negotio respectus. Utraque conditio tantum, sive instrumentum morale. Quæ sit illa fides, cui tantum in Scripturis tribuitur? Quo respectu fides cæteris præstet virtutibus?.....P. 17.
Annotata.....P. 28.

CAP. III.

Argumentum secundum a notione Justificationis. Justificatio tria involvit, judicem, clientem, legem. Quæ sit illa lex, ad cujus normam justificatio vel condemnatio

nostri peragenda sit, ostenditur. Argumentum inde formatur	P. 38.
Annotata.....	P. 42.

CAP. IV.

Argumentum tertium a natura ipsius fidei. Tres fidei actus a theologis vulgo assignati (notitia, assensus, fiducia) expenduntur. Ostenditur nullum ex iis esse, cui justificatio necessario nexu conjuncta sit	P. 47.
----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------	--------

CAP. V.

Argumentum quartum a processu Dei in ultimo iudicio. Iudicium Dei in futuro sæculo per omnia respondet justificationi divinæ in hac vita. Opera nostra in iudicio Dei spectantur non ut mera fidei signa, sed ut pars, eaque maxima, conditionis in fœdere evangelico præscriptæ.....	P. 55.
Annotata.....	P. 59.

CAP. VI.

Argumentum quintum atque ultimum ab implicita adversariorum confessione. Duæ hypotheses a reformatis theologis unanimi consensu comprobatae: 1. Fidem eam, quæ justificat, vivam, h. e. bonorum operum fœcundam esse debere: 2. Opera bona esse ad salutem omnino necessaria. Ex utraque hypothesis necessitas bonorum operum ad justificationem evincitur	P. 60.
------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------	--------

DISSERTATIONIS POSTERIORIS

CAP. I.

Variæ theologorum sententiæ de conciliatione inter Jacobum ac Paulum proponuntur. Refutatur prima opinio eorum, qui de justificatione fidei hominis coram hominibus aliis, non de justificatione hominis ipsius coram Deo, Jacobum interpretantur.....	P. 71.
Annotata	P. 76.

CAP. II.

Expenditur secunda sententia eorum, qui Jacobum de falsa et fucata, Paulum de vera ac viva fide loqui arbitrantur.

Multis argumentis obruitur ista opinio. Satisfit objectionibus adversariorum. P. 78.

CAP. III.

Expenditur tertia sententia. eorum, qui Jacobo et Paulo inter se conciliandis distinctionem quandam justificationis in primam et secundam adhibent. Breviter ostenditur, sententiam istam tum falsum supponere, tum ab utriusque apostoli scopo alienam esse. Idem fit iudicium de quarta atque ultima Josuæ Placæi sententia, de duplici accusatione, a qua in justificatione absolvimur ac liberamur. P. 87.
Annotata. P. 91.

CAP. IV.

Ad veram nodi solutionem via sternitur: Paulus ex Jacobo, non Jacobus ex Paulo interpretandus. Duplex apud Paulum ambiguitas; altera in voce *fidei*, in voce *operum* altera. Quid per fidem Paulus intelligat. Fidem ipsi denotare universam illam, quæ evangelio exhibetur, obedientiam, argumentis clare ostenditur. Grotii argumento pro contraria parte respondetur. P. 92.

CAP. V.

Fundamentum ejus locutionis, qua fides pro universa, quæ evangelio exhibetur, obedientia accipitur; nempe, quod sit et initium et radix totius evangelicæ justitiæ. Exponitur locus ad Rom. x. 11. coll. cum ver. 12, 13. Eadem fere de causa universa pietas cognitio sive scientia appellatur in S. Scripturis. Causa, cur Paulus in descriptione conditionis, quæ ex parte nostra ad salutem requiritur, nomine *fidei* tam libenter uti soleat, ulterius investigatur. Ea duplex potissimum est; ut istius conditionis, 1. exprinatur facilitas, 2. tollatur meritum. P. 102.
Annotata. P. 112.

CAP. VI.

Quid per opera intelligat Paulus. Ex præcedentibus colligitur, ipsum de operibus loqui non quibuscunque, sed certi cujusdam generis; nempe, de operibus legis Mosaicæ. Idque ex scopo Paulinæ disputationis in Epistola

tum ad Romanos, tum ad Galatas evincitur. Legem dein Mosaicam ita oppugnat Paulus, ut etiam dogmata Judæorum ipsi addita perstringat. Denique quia etiam cum gentium philosophis ipsi res erat, contra opera quoque legis naturalis, h. e. ex meris naturæ viribus profecta, obiter et quasi aliud agendo disputat. P. 113.

CAP. VII.

Argumenta, quibus ipsam Mosis legem a justificatione rejicit Paulus, enucleantur. Disputatio apostoli etiam ad præcepta legis quæ vocantur moralia pertingit; at non simpliciter considerata, sed eatenus tantum, quatenus pars erant conditionis in fœdere Mosaico præscriptæ. Hinc argumenta duplicis generis; vel quæ ad totam legem pertinent, vel quæ partem ejus tantum ritualement respiciunt. Argumentum primum universam Mosis legem æque respiciens, a defectu gratiæ condonantis sive remissionis peccatorum. An lex Mosis sub ulla consideratione lex obedientiæ usquequaque perfectæ dici potuerit? et an hoc fundamento argumentatio apostoli, Rom. iii. 20. et Gal. iii. 10. nitatur? Pars quæstionis negativa argumentis adstruitur. Argumentis contrariæ partis respondetur. P. 119.

CAP. VIII.

Vera argumenti apostolici fundamenta aperiuntur; quæ duo sunt: 1. Tam Judæos, quam gentes indiscriminatim, atque omnes ex utraque natione universim, gravium peccatorum reos fuisse, atque adeo judicio atque iræ divini obnoxios: 2. Nullam in lege Mosaica veram ac perfectam peccatorum remissionem, sive ab ira divina ac morte æterna peccatis debita liberationem promitti. Hinc quomodo conclusionem suam inferat apostolus ostenditur. P. 134.

CAP. IX.

Alterum apostoli argumentum ab infirmitate legis, sive a gratiæ auxiliaris defectu in lege sumptum. Loca quædam eo spectantia notantur. Imprimis cap. vii. Epistolæ ad Romanos latius aperitur. Clare ostenditur, Paulum ibi agere de homine sub lege constituto, et evangelii

gratia destituito. Argumentis pro contraria parte respondetur. Exponitur locus ad Gal. v. 17. ... P. 145.

CAP. X.

Argumentum apostoli ab infirmitate legis distinctius explicatur. Lex duplici auxilio caruit, sc. promisso vitæ æternæ, ac dono Spiritus Sancti. Quantum fuerit prior ille defectus. Loca nonnulla proferuntur eo spectantia. Dubia quatuor in ista materia solvuntur. P. 175.

CAP. XI.

Altera legis Mosaicæ infirmitas, quod Spiritus S. dono caruerit. Loca quædam illud ipsum testantia explicantur. Solvuntur etiam ea de re quæstiones duæ. Ostenditur, apostolum justificationem ex evangelio, opposite ad legem, adstruere apodictico argumento a donis illis Spiritus S. conspicuis, quæ fidem evangelii in primæva ecclesia passim sequebantur. Lux inde affertur Grotii observationi satis frequenti, Spiritum sc. Sanctum in N. T. post fidem poni. P. 193.

CAP. XII.

Consectaria duo ex iis, quæ in tribus præcedentibus capitibus de infirmitate legis explicantur, deducta. Quorum prius est, Apostolum ejusmodi tantum opera a justificatione ἀπλῶς secludere, quæ sine gratia evangelii, vi legis Mosaicæ, et (consequenter) naturalis facta sunt. Id porro triplici argumento ex ipsis Pauli Epistolis demonstratur. Tribus Paræi argumentis pro contraria parte ita respondetur, ut lux inde clarior deducto consecratario accedat. P. 207.
Annotata. P. 235.

CAP. XIII.

Consectarium alterum ex argumento apostoli ab infirmitate legis elicatum, nempe, tantum abesse, ut a Paulo necessitas bonorum operum ad justificationem tollatur, ut e contra scopus ipsius sit ostendere, veram operum justitiam esse omnino ad justificationem necessariam; atque evangelium esse unicum illud efficax instrumentum, quo ad justitiam illam adduci quis possit. Loca

quædam eo spectantia notantur. Primarium inter legem et evangelium discrimen ostenditur. P. 238.

CAP. XIV.

Loca quædam, in quibus apostolus legem imprimis ritua- lem oppugnat, indicantur. Externum et ritua- lem legis cultum a justificatione ita rejicit, ut in ejus locum in- ternam ac spiritualem evangelii justitiam substituât. Argumentum inde contra Solifidianos invictum. P. 242.

CAP. XV.

Notantur dogmata Judaica, de ratione justificationis ac salutis obtinendæ, a Paulo perstricta. Primus eorum error, quod vel nimiam humano arbitrio vim ac liberta- tem tribuerint, vel saltem gratiæ divinæ necessitatem ignorarint. Quod ex rabbinis et Josepho ipso ostendi- tur. Insignis Jacobi locus i. 13. et seqq. illustratur. P. 245.

CAP. XVI.


Secundus Judæorum error, quod spem salutis suæ posuerunt in civili illa justitia, quæ in lege disertis pœnis sancita erat. Hinc factum, ut substiterint in obedientia, vel 1. negativa, vel 2. externa, vel ad summum 3. partiali ac dimidiata. Quorum singula ex S. Scripturis et He- bræorum scriptis explicantur ac demonstrantur. P. 263.

CAP. XVII.

Tertius error Judæorum, imprimis Phariseorum, quod in frivolis quibusdam ritibus atque institutis *πατροπαραδότοις* justitiam ponerent, iisque summa Dei mandata post- ponerent. Item quartus atque ultimus, quod larvata ista justitia contenti de Messia non cogitarent, qui me- liori ipsos justitia impertiret. Denique ex ista dogmatum Judaicorum descriptione consecraria quatuor ad Paulum recte intelligendum perutilia deducuntur. P. 271.

CAP. XVIII.

Epilogus, brevem exhibens totius operis *ἀνακεφαλαίωσιν*, nec non serium lectori monitum, ut a quadruplici errore in hac de justificatione controversia sedulo sibi caveat. P. 279.



HARMONIA APOSTOLICA.

DISSERTATIO PRIOR

In Jac. ii. ver. 24.

Ὅρατε τοίνυν ὅτι ἐξ ἔργων δικαιοῦται ἄνθρωπος, καὶ οὐκ ἐκ πίστεως μόνου.

Videtis igitur ex operibus justificari hominem, et non ex fide tantum.

INTRODUCTIO.

Suscepti operis difficultas. Methodus observanda.

1. **C**UM apud omnes, qui vere Christiani audiunt, tum Scripturæ totius infallibili autoritate, tum partium ejus inter se perfectissima harmonia nihil magis in confesso sit; nimis tamen (proh dolor!) compertum est, non paucas ἐναντιοφανείας, ac nodos pene inextricabiles, in sacro illo volumine reperiri. Materiæne sublimitati, an stylo plane singulari, an dogmatis ac moribus eorum, (quibus ex occasione non minima Scripturæ pars destinata erat) laud probe cognitiss, (utpote jam longissimo temporis intervallo pene oblitteratis,) an nostræ ipsorum vel hebetudini in sacris illis libris intelligendis, vel socordiæ in scrutandis, an denique omnibus his simul sumptis, vel alii cuicunque causæ illud tribuendum sit, inquirere hic non est instituti nostri. Rem atque effectum ipsum sentire ac flere cogimur.

2. Ex ingenti autem textuum sacrorum numero,

specie tenus cum aliis locis pugnantium, haud facile alterum reperias, qui theologorum ingenia æque torserit, ac locus hic Jacobi, quem præ manibus habemus. Quas distinctiunculas, quæ σοφὰ φάρμακα, quas strophas, quas artes ad conclusionem hanc Jacobi cum Paulinis Epistolis conciliandam adhibuerunt interpretes ! Opus quidem apprime necessarium aggressi sunt ; quippe ἐναντιοφάνεια hæc non in facti alicujus, nedum circumstantiæ narratione, sed in articulo fidei Christianæ maximi momenti conspicitur. At infelix plerumque fuit laboris eorum exitus. Lucem enim non exiguam polliciti, Epistolis Jacobi ac Pauli crassiores revera tenebras offuderunt. Imo (quod maxime dolendum est) ipsam justificationis doctrinam, (alioquin satis planam ac facilem,) tot distinctionibus, tot subtilitatibus involverunt, ut jam in universa theologia articulum alium intellectu difficiliorem vix reperias.

3. Quod videntes nonnulli (qui neque in recepta sententia acquiescere, neque in meliori investiganda pertinaci diligentia perseverare poterant) nodum hunc plane Gordianum iis visum, cui solvendo non essent, dissecare aggressi sunt, auctoritatem ejus Epistolæ, cui Jacobi nomen inscribitur, vel in dubium vocando, vel aperte rejiciendo^a. Imo repertus est nonnemo, qui eo audaciæ atque adeo impietatis processit, ut in authorem ejus Epistolæ calamum liberius strinxerit, eumque falsitatis ac mendacii arguerit. Is fuit Althamerus, qui (citante Grotio^b) in scriptorem non modo innoxium, sed et divinum hæc verba indignabundus effudit : “ Directe,” inquit,

^a Pro quibus (quod mirum est) ipse Scultetus multis argumentis pugnat, Exercit. 5. ad 2 Tim. iii. 13.

^b Discuss. Rivetiani Apologetici, p. 170.

“ contra Scripturam agit, citat Scripturas falso, et
 “ solus Spiritui Sancto, Legi, Prophetis, Christo,
 “ Apostolisque omnibus contradicit. Testimonium
 “ ipsius vanum est.” Atque iterum: “ Suis ipsissi-
 “ mis verbis scimus nescivisse, quid sit fides.” Imo
 audaciore adhuc blasphemia, “ recte,” inquit, “ menti-
 “ tus est in caput suum.” Quæ, cum aliis id genus
 blasphemiis (quas horreo referens) legat qui volet
 apud eundem Grotium.

4. Est itaque nodus hic vindice dignissimus, si
 modo accesserit par nodo vindex. Quod, ut de me
 ipse spondeam, cum parum deceat, illud tamen sine
 ulla *κενοδοξίας* nota liceat profiteri, me, seposito par-
 tium studio, atque animo ab omnibus affectibus (ex-
 cepto tantum veritatis amore) prorsus libero, tum
 caput secundum Jacobi, tum Epistolas Pauli, ad Ro-
 manos præsertim et Galatas, quam diligentissime
 potui, evolvisse; non neglectis interim, qui penes
 me erant, doctissimorum virorum commentariis:
 indeque spem concipere, dicturum me aliquid, quod
 scopum saltem utriusque apostoli attingat, atque
 æquioribus judiciis faciat satis.

5. Sed ne in limine te (lector) diutius morer,
 rem ipsam *σὺν Θεῷ* aggredior, cui explicandæ hanc
 methodum commodissimam censuimus. ^cPrimo con-
 clusionis Jacobi tum sensum breviter enucleabimus,
 tum veritatem argumentis aliquot adstruemus. Ei-
 que labori assignabitur Dissertatio prior. Deinde
 Pauli Epistolas aggrediemur, ejusque consensum cum
 Jacobo nostro in hac justificationis doctrina liquido
 demonstrabimus. In hac arena versabitur Dissertatio

^c Istam methodum defendit clariss. auctor in Examine Censuræ
 Respons. ad Animadvers. I. GRABE.

altera. Quæ si prolixior fuerit, et priorem mole longius excesserit, nihil erit quod mireris, cum summa materiæ ipsius difficultas id pene necessario efflagitare videatur.

C A P. I.

Sensus Jacobi exponitur. Quid significet δικαιῶν in Novo Testamento. Multis testimoniis evincitur, vocem istam accipi sensu forensi pro justum censere, seu pronunciare, Particula ἐξ apud Jacobum notat tantum causam sine qua non, sive conditionem præcedaneam.

1. **A** JACOBO igitur primum exorsis ad sensum conclusionis ab ipso positæ (quantum saltem instituto nostro in præsentī sufficiat) aperiendum haud longa nobis opus erit indagine. Duo tantum annotabimus.

2. Primo vocem δικαιῶν (cui respondet apud Hebræos הַצַּדִּיק) ab eo in usitatiori suo significato usurpari, h. e. *sensu forensi*, pro *justum censere* sive *pronunciare*. Eam enim esse vocabuli hujus in sacris literis, præsertim Novi Testamenti, significationem maxime obviam ac familiarem, pene cæcus est, qui non videat. Ut mirum sit reperiri virum longe doctissimum, et alioquin in hac ipsa justificationis doctrina de veritate optime meritum, qui id neget, vocem *justificationis* fere semper in hac quæstione (præsertim, ubi fidei tribuitur) purgationem a vitiis, seu liberationem a peccandi consuetudine significare strenue contendens^a. Fatetur quidem Grotius^b, (nam illum designamus,) δικαιῶν a Jacobo in capite secundo sumi pro *aliquem ut justum tractare*; additque

^a In Prolegom. in Epist. ad Romanos.

^b In secundis Annot. ad Jac. ii. 21.

totum ejus sermonis contextum hunc sensum necessario exigere. Sed hanc esse usitatiorem vocis hujus significationem, præsertim in Paulinis Epistolis, omnino negat. Nos autem (quanquam fortasse locus huic rei alius commodior esset) vocem *δικαιοῦν* in eo, quem diximus, sensu in Novo Testamento constanter ac fere semper usurpari, facile evicturi sumus.

3. Egregius ille locus est ad Rom. viii. 33. *Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus est qui justificat*: Ubi τὸ δικαιοῦν manifeste opponitur τῷ ἐγκαλεῖν, ac proinde necessario significat aliquem accusatum absolvere, atque ab accusatione liberum pronuntiare ac decernere^c. Huic loco geminus est ille ex Veteri Testamento sumptus Prov. xvii. 15. *Qui justificat impium, et condemnat justum, uterque est abominatio Domino*; ubi antithesis justificationis et condemnationis eundem sensum ostendit. Imo hoc sensu Christus ipse usus est hoc vocabulo, Matt. xii. 37. *Ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis*. Sic Rom. v. 16, 18. *κατάκριμα* et *δικαίωμα* a Paulo directe opponuntur. Simili plane sensu vox sumitur I Cor. iv. 4. ubi cum se nullius rei sibi conscium fuisse dixerat Paulus, mox addit, Ἄλλ' οὐκ ἐν τούτῳ δεδικαίωμαι, ὁ δὲ ἀνακρίνων με Κύριός ἐστι· justificationem sui ad Dei solius tribunal, qui de ipso certam laturus erat sententiam, manifeste deferens. Ut merito mireris quid moverit Grotium^d, ut hunc etiam locum inter eos reponeret, ubi *δικαιοῦν a vitiiis purgare* significet.

^c Vox Hebræa, voci *הצדק* opposita, est *הרשיע* *impiificare*, qua dubio procul non significatur alicujus impiæ qualitatis inditio, sed condemnatio impii, ejusque ad pœnam adjudicatio.

^d In Proleg. ad Epist. Rom.

Illustris est locus ille, 1 Cor. vi. 11. Ἄλλὰ ἀπελού-
σασθε, ἀλλὰ ἡγιάσθητε, ἀλλὰ ἐδικαιώθητε, *Sed lavati
estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis.* Ubi
quis non videt purgationem a vitiis a justificatione
aperte distingui? Hinc Grotius necessitatem vidit,
alium vocis δικαιῶσθαι sensum hoc loco excogitandi;
nempe, ut significet *maiores in justitia progressus
facere*, addens, hunc sensum suadere verborum or-
dinem. Sed frustra est: ordo enim verborum sine
hoc commento satis perspicuus est; ut lavatio hic
significet primam a vitiis per baptismum purgationem;
sanctificatio præparationem et quasi formationem
hominis, per gratiam Spiritus divini, ad opera bona
facienda, vitamque sanctam degendam; justificatio
denique amorem illum Dei, quo jam sanctam vitam
degentes complectitur, eosque in Christo vitæ æternæ
præmio dignos censet.

4. Inter omnes autem eminent textus ille, Act.
xiii. 38, 39. (quem non immerito totius evangelii
summam nuncupavit, et ex quo veram notionem
vocabuli δικαιῶν in Paulinis Epistolis commodissime
colligi posse censuit doctissimus Hammondus^e noster
ὁ μακαρίτης,) cujus verba sic habent: “Notum igitur
“ sit vobis, fratres, annuntiari vobis remissionem
“ peccatorum per istum (Christum sc.) et ab omni-
“ bus, a quibus non potuistis per legem Mosis justi-
“ ficari, per hunc, credentem quemvis justificari:
“ πᾶς ὁ πιστεύων δικαιῶται.”

Unde luce clarius apparet, justificationem illam
(quæ in Christi evangelio publicata et promulgata
est) nihil aliud esse, quam gratuitum Dei actum,

^e In notis ad Rom. iii. (B.)

quo propter Christum vere credentes, h. e. fide formata^f præditos absolvit, ac liberat a reatu et pœna omnium peccatorum, etiam gravissimorum, et quorum ex lege Mosis nulla prorsus venia speranda erat. Contendit quidem Grotius beneficium hic v. 39. sub nomine justificationis commemoratum, non esse idem quod præcessit v. 38. sub nomine remissionis, sed aliud quid diversum; nimirum remissionem significare *absolutionem a reatu peccati*, justificationem vero denotare *liberationem a peccati dominio*. At quis non agnoscit manifestam verborum apostoli depravationem? Nihil enim magis in aperto est, quam apostolum idem remissionis beneficium, quod v. 38. breviter tantum expresserat, v. 39. latius explicare; ostendendo tum conditionem ejus, nempe fidem in Christum, tum præstantiam supra eam, quam lex Mosis indulsit, remissionem. Nimirum lex Mosis temporalem tantum concessit remissionem; evangelium æternam. Lex Mosis quorundam graviorum peccatorum nullam omnino veniam largiebatur; at evangelium plenissimam ac perfectissimam omnium (etiam gravissimorum) peccatorum remissionem cuivis credenti annuntiat. Et sic ipse Grotius^g alias locum hunc optime explicavit.

5. Addam aliud argumentum pro hac nostra sententia, quod mihi quidem insolubile videtur. Vox *δικαιοῦν* tam apud Paulum, quam apud Jacobum idem plane valet quod *μισθὸν λογίζεσθαι, δικαιοσύνην λογίζεσθαι, εἰς δικαιοσύνην λογίζεσθαι*: *mercedem imputare*^h,

^f Fidem charitate formatam recte dici, optime ostendit auctor in *Examine Censuræ*, Respons. ad Animadv. II. GRABE.

^g De Satisfact. Christi, c. 10. p. 186.

^h Mercedis imputationem justificationi in judicio Dei indivulso nexu junctam esse, contra censorem probavit vir reverendus Resp. ad Animadv. III. GRABE.

justitiam imputare, ad justitiam imputare. Jam imputationem notare actum Dei hominem justum æstimantis, non justum facientis, nimis manifestum est; neque id Grotius ipse negare aut voluit, aut potuit. Tantum contenditⁱ aliud esse, cum homo dicitur justificari per fidem, aliud cum dicitur fides imputari homini in justitiam. Sed contrarium cuivis patet ex cap. ad Rom. iv. 2. collato cum ver. 3—6. et ver. 22. collato cum ver. 23, 24, 25. et Jac. ii. 21. collato cum ver. 23. In quem etiam Jacobi locum Grotius^k ipse observat, δικαιωθῆναι *justificari*, et φίλον Θεοῦ κληθῆναι pro eodem poni; addens locum Rom. v. 1. ubi δικαιωθῆναι per εἰρήνην ἔχειν πρὸς Θεὸν ponitur.

His adjicias locum illum Rom. iii. 20. Διότι ἐξ ἔργων νόμου οὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σὰρξ ἐνώπιον αὐτοῦ, sc. Dei. Ubi δικαιοῦσθαι sensu forensi sive judiciario sumi manifestum est, tum ex verbis ἐνώπιον Θεοῦ, quæ in *conspectu, judicio, æstimatione Dei* significant, tum ex Psal. cxliiii. 2., (ad quem locum alludere Paulum, fatetur Grotius, et res ipsa loquitur,) ubi David rigidum Dei in ipsum judicium humillime deprecatur. Locus hic apprime observandus est, quippe ex quo clare eluceat, quid per justificationem voluerit apostolus in tota ipsius de fide et operibus disputatione. Hinc enim ita argumentamur: Qualem Paulus justificationem operibus detrahit, talem tribuit fidei; at justificatio quam detrahit operibus est forensis, qua quis in judicio divino justus pronuntiatur: ergo justificatio quam tribuit fidei est ejusdem generis^l.

6. Unicum proferunt locum adversarii ex Novo Testamento, ubi alio sensu vocem δικαιοῦσθαι accipi

ⁱ In præfat. ad Annot. in Epist. ad Roman.

^k In prioribus Annot. in Jac. ii. 24.

^l Vid. Luc. vii. 29. et x. 29. et xviii. 14. Rom. iii. 4. et ii. 13.

constat, nempe ut significet non justum *censeri*, sed justum *fieri*, sive in justitia inhærente et habituali novos indies progressus facere. Is est Apoc. xxii. 11. *Qui injuste agit, injuste agat adhuc; et qui sordidus est, sordescat adhuc; et qui justus est, δικαιοθήτω ἔτι, justificetur adhuc, &c.* Ubi τὸ δικαιοῦσθαι, cum manifeste τῷ ἀδικεῖν opponatur, nihil aliud significare posse videtur quam justum fieri, seu potius in justitia crescere. Verum enimvero significationem vocis ex loco uno vel altero (licet an ex Novo Testamento alter dari possit, adhuc dubitem) deducere, atque aliam longe commodiorem, et constanti sacrae Scripturae usui convenientiorem neglectui habere, iniquissimi certe disputatoris est. Quid quod de illo ipso loco merito dubitari possit, an ibi vox δικαιοθήτω legenda sit? Manuscripta enim nonnulla exemplaria (in quibus et illud venerandæ antiquitatis, a Cyrillo, patriarcha Constantinopolitano, Carolo primo, τῷ μακαρίτη, dono missum^m) pro ὁ δίκαιος δικαιοθήτω ἔτι, legunt: ὁ δίκαιος δικαιοσύνην ποιησάτω ἔτιⁿ. Quæ quidem lectio locutioni Johannis apprime convenit: alias enim in Epistola prima ποιεῖν δικαιοσύνην in eundem sensum ab ipso usurpatur, cap. ii. 29. et iii. 7. Imo, quod mireris, ita locum hunc legit Grotius, qui tamen eum ad sensum istum suum probandum sæpius allegat. Pro certo igitur statuatur, vocabulum *justificationis* in hac materia forensam significationem obtinere, atque actionem designare Dei, more judicis, ex lege Christi gratiosa absolventis accusatum, justum pronuntiantis, atque ad præmium justitiæ, h. e. vitam æternam, acceptantis.

7. Et certe hæc justificationis notio accurate

^m [Codex Alexandrinus, in Museo Britannico asservatus.]

ⁿ [Griesbach, in textum admittit δικαιοσύνην ποιησάτω.]

tenenda est, non solum ut pontificiorum strophis occurratur, quibus tum Paulum, tum Jacobum obscurarunt, verum etiam quod (ut postea^o videbimus) nonnulli usui esse possit ad refellendos Antinomos et Solifidianos, quos ego in hac quæstione ex altera parte non minus periculose errare semper arbitratus sum.

8. Accedamus jam ad alterum istud, quod breviter notandum duximus; nempe, phrasi illa, ἐξ ἔργων, non id voluisse Jacobum, opera nostra esse justificationis nostræ causam principalem aut meritoriam: illa quippe in mera et gratuita Dei Patris misericordia, hæc in Christi solius morte ac meritis unice statuenda est, et ab apostolo revera statuitur. Et enim quamvis particula ἐξ eam nonnunquam vim obtineat, sæpe tamen adhiberi solet sensu quodam mitiori, ut notet medium quodcunque rei obtinendæ, sive conditionem præcedaneam, quæ vulgo causa *sine qua non* dicitur, licet revera vix causæ nomen mereatur. Atque is loquendi modus neque a communi usu abhorret, neque a stylo Scripturæ alienus est. Ut enim alia taceam, cum dicitur homo ἐκ πίστεως δικαιοῦσθαι, particula ἐκ manifeste hoc sensu sumitur. Quippe ne ipsa quidem fide tanquam causa principali, imo non ut causa omnino, nisi improprie dicta, justificari aliquis dici potest P.

Dicitur igitur homo ἐξ ἔργων δικαιοῦσθαι, quia bona opera conditio sunt, juxta ordinationem divinam in evangelico fœdere stabilitam necessario in hoc requisita, ut quis justificetur, h. e. remissionem peccatorum per Christum partam obtineat, Deoque ad sa-

^o [v. iii. 3.]

P Hæc carpentem adversarium breviter perstrinxit doctissimus auctor in Examine Censuræ, Resp. ad Animadv. IV. GRABE.

litem gratus et acceptus fiat. Atque hæc de verborum sensu dicta sunt.

ANNOTATA J. E. GRABE

5

AD CAP. I.

AD SECT. 2.

1. *Eam enim esse vocabuli hujus in sacris literis, præsertim Novi Testamenti, significationem maxime obviam.] Forenssem verbi δικαιοῦν significationem non perpetuam prorsus, sed maxime obviam ac familiarem in S. literis esse, pro solita accuratione dicit auctor clarissimus. Nam et altera significatio, qua purgare a peccatorum labe, sive a vitiis animum liberare denotat, identidem reperitur. In Veteris Testamenti libris duo loca notarunt ipsi rigidiores protestantium theologi, nempe Daniel xii. 3. et Ecclesiastici xviii. 22. Accedit Psalm. lxxiii. 13. ubi Hebræa verba, לבבי זכיתי LXX. reddiderunt, ἐδικαίωσα τὴν καρδίαν μου. Et Vulgatus Latinus Interpres, *Justificavi cor meum*. Quibus non possum non addere ista Esaïæ liii. 11. *In scientia sua justificabit יצדיק ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit*. Ut enim de Chaldæo paraphraste nihil dicam, alium majoris, imo divinæ auctoritatis interpretem habere mihi videor, S. apostolum Petrum, 1 Epist. cap. ii. ubi plura ex citato Esaïæ capite mutuatus est, ut ex collatione vers. 22. cum Esaïæ vers. 9: 23. cum Esaïæ vers. 7: 25. cum Esaïæ vers. 6. patet. Versus autem 24 apostoli ita sonat: ὁς τὰς ἀμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς ἀνήνεγκεν ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ ἐπὶ τὸ ξύλον, ἵνα ταῖς ἀμαρτίαις ἀπογενόμενοι, τῇ δικαιοσύνῃ ζήσωμεν· οὗ τῷ μώλωπι αὐτοῦ λάθητε. Quorum ultima sunt illa ipsa Esaïæ vers. 6. τῷ μώλωπι αὐτοῦ λάθημεν· priora autem, qui peccata nostra ipse portavit, exacte consonant istis Esaïæ, τὰς ἀμαρτίας αὐτῶν αὐτὸς ἀνοίσει, ac proinde sequentia, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus, procul dubio sensum exprimunt verbi *justificare*; quod idcirco hoc loco de justitia inhærente,*

tanquam eximio fructu in ligno crucis ex passione Christi nato, accipiendum esse patet.

2. In Novo Testamento præter Apocalyps. xxii. 11. alius est locus in ipsa S. Pauli ad Romanos Epistola vi. 7. ubi ait : ὁ γὰρ ἀποθανὼν δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας. Particula enim γὰρ, quæ hoc comma cum præcedentibus connectit, et scopus integri textus omnino indicat, phrasin δικαιοῦσθαι ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, æquipollentem esse ei, quæ vers. 6. præcedit, μηκέτι δουλεύειν τῇ ἁμαρτίᾳ. Adeo ut hæc Pauli sententia quodammodo gemina sit isti, 1 Petri iv. 1. ὁ παθὼν ἐν σαρκί, πέπαιται ἁμαρτίας. Unde S. Basilius^p, dictum Pauli locum citans, istud δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, interpretatur, ἀπήλλακται, ἠλευθέρωται, κεκαθάρισται πάσης ἁμαρτίας. Imo in ipso iv. cap. ad Romanos versu ultimo : *Qui traditus est propter delicta nostra, et suscitatus est propter justificationem nostram*, δικαίωσις ἡμῶν infusionem justitiæ nobis inhærentis significare^q, ex protestantibus docent Martinus Borræus in Genes. xv. p. 161. Petrus Martyr in Rom. iv. ac Martinus Bucerus ad eundem locum, cujus hæc sunt verba Observat. IV. “ In peccatis nati cum simus, et “ nihil quam offendere Deum valeamus ex nobis, restitui non “ possumus, nisi sit, qui et pro peccatis nostris satisfaciat, et “ deinde spiritu nos afflet justitiæ. Utrumque perfecit Christus : in morte Christi peccata nostra sanguine ejus esse “ expiata semper cogitemus : in resurrectione ejus, qua “ vitam inivit cœlestem, vivitque jam DEO—agnoscanus “ nos ad novam et DEO placitam vitam vocatos, eamque “ eum ipsum collaturum,” &c. Ast licet nova justitia activa in δικαίωσει apostoli isto ut et aliis in locis simul subintel- ligatur, aut potius præsupponatur, hæc ipsa tamen vox ibi

^p Lib. 1. de Baptismo p. 568. [c. 2. §. 15. vol. II. p. 640.]

^q [Sed *delicta nostra* in causa erant quare Jesus morti traditus est : sequitur igitur ex verborum ordine quod *justificatio nostra* in causa erat quare Jesus suscitatus est. Et ita h. l. interpretatus est Horsleius (Serm. in l.) Jesus nempe a mortuis resurrexit, quia justificatio nostra peracta est. V. *Grot. de Satisfact. Christi* init. c. 1.]

etiam pro declaratione seu approbatione istius justitiæ accipienda videtur.

AD SECT. 5.

Justificatio quam tribuit fidei, est ejusdem generis.] Verbum *justificandi* forensem habere significationem in Epistolis Pauli, ubi docet, *fide hominem justificari*, doctissimus auctor egregie probavit. Cujus tamen argumentis unum atque alterum addere, forte haud abs re erit. Primum suppeditat idem apostolus Hebr. xi. ubi de Abel scribit vers. 4. *Fide uberiores hostiam Abel quam Cain obtulit DEO, per quam testimonium consecutus est esse justus, ἐμαρτυρήθη εἶναι δίκαιος.* Et vers. 7. de Noa: *Justitiæ quæ secundum fidem est hæres factus est*, id est, tanquam genuinus hæres piorum majorum suorum, præsertim Enoch, (de quo apostolus vers. 5. et 6. agit,) ipse quoque ob fidem justus a DEO est declaratus. Nam et de Noa scriptum Genes. vi. 9. *Noe erat vir justus atque perfectus in generationibus suis; cum DEO ambulavit.* Quis vero dubitaret Paulum hoc loco idem de Abele ac Noa dicere voluisse, quod alibi de Abrahamo aliisque asseruit, eos *fide justificari*? Hoc igitur idem est ac *testimonium justitiæ a DEO accipere*, sive justum declarari atque prædicari. Deinde Judaizantes, contra quos Paulus Rom. iii. et iv. et Galat. iii. &c. disputat, non ad habitum justitiæ acquirendum circumcisionem aliaque Mosaica instituta necessaria esse statuebant, sed hæc tanquam eximiam justitiæ nostræ partem requirebant, qua hominem justum coram Deo censi, ac æternam salutem obtinere persuasi erant. Ita enim docebant fratres Act. xv. 1. *Nisi circumcidamini secundum morem Mosi, non potestis salvari.* Contra quos S. Petrus in concilio primus pronuntiavit vers. 11. *Per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi, (Patres,) qua propter et S. Paulus eos oppugnans de statu gratiæ DEI et salutis locutus est, asseruitque nos non ob circumcisionem et legis Mosaicæ opera, sed ob fidem et vitam evangelio congruam justos a Deo haberi, sicque salutem adipisci.*

AD SECT. 6.

1. *Pro certo igitur statuatur, vocabulum justificationis actionem designare DEI, more judicis, ex lege Christi gratuita absolventis accusatum, justum pronuntiantis, atque ad præmium justitiæ, h. e. vitam æternam, acceptantis.]* Reverendi viri assertio ut melius atque distinctius percipiatur, notandum est, justificationem, etiam in foro humano, duplicem esse, prout respectum habet vel ad culpam, a qua immunis atque justus pronuntiat is qui innocens est inventus; vel ad pœnam, a qua reus, licet criminis convictus, tamen ob satisfactionem ab altero nomine ejus præstitam quandoque absolvitur. Imo contingit aliquando, ut Judex una eademque sententia utroque modo reum justificet. Verbi gratia, renovatis in republ. legibus, ac promissa a supremo magistratu venia iis qui antehac contra eas peccaverint, dummodo recenter institutis obtemperent, si quispiam malignus antiquarum legum transgressor, sed religiosus novarum observator in jus vocetur, is ex tenore posteriorum ac præsentis vitæ ratione proprie justificatur, id est, justus a Judice pronuntiat; simul autem ratione priorum et vitæ anteactæ gratis absolvitur, non quidem a culpa, sed a pœna, ac hoc quoque respectu justificari dicitur, licet minus proprie; cum justitia, quam reapse non habuit, ei solum imputetur, seu potius priora peccata ob vitam in melius mutatam illi condonentur. Pari modo peccatores, jam ad fidem et meliorem frugem conversi, a DEO justificantur dupliciter, dum ex præsentis cordis integritate cœlitus eis donata justitia a DEO pronuntiantur, ac ut reapse tales tractantur; respectu autem criminum olim commissorum, nec non præsentium minorum delictorum, justificantur seu potius absolvuntur gratis propter satisfactionem Christi, interveniente nova justitia, qua peccata præterita quasi teguntur, nec in æternam eis imputantur damnationem.

2. Utramque hanc justificationis nostræ partem, ut ita dicam, verbo *justificandi* complexus est tam Jacobus quam Paulus; quanquam hic posteriorem, ille priorem magis expresserit, quod illi contra activæ fidelium justitiæ, huic contra gratiæ Dei adversarios esset certamen. Hinc Rom. iii. 24.

seq. dicit, nos *justificari gratis gratia DEI per redemptionem Jesu Christi, ad ostensionem justitiæ suæ, per remissionem præcedentium delictorum.* Et cap. iv. 5. dicit, quod DEUS *justificet impium*, antehac scilicet talem, eique *imputet justitiam*, id est observationem legis suæ, dum *peccata* sive transgressiones legis ei propter satisfactionem Christi *haud imputat*, ac quasi pro non factis habet. Atque hanc *non-imputationem* peccatorum (sit venia verbo) in justificatione hominis libenter admittunt plerique protestantium theologorum; imo quidam hanc præcipuam aut unicam ejus partem esse statuerunt, cum tamen sit justificationis proprie dictæ, qua vere justi prædicamur, quasi appendix, DEO eorum quos jam justitia ornatos videt, priora peccata quasi post tergum abjiciente, ut eorum non amplius recordetur. Quod autem attinet *justitiam a qua justi coram DEO nominamur*, et per quam tanquam formalem causam proprie justificari dicimur, hanc plurimi eorum ipsam Jesu Christi, quam in his terris operatus est, justitiam esse docent, nobis scilicet imputatam, et quasi nostram factam; non autem eam quæ nobis inhæret, quamve ipsi in Christo per Spiritum ejus operamur. Atqui imputatam istam justitiam nostram absurdum esse figmentum, nec in apostolica doctrina fundatum, doctissimus auctor noster prolixè probavit in Examine Censuræ, Respons. ad Animadvers. XI. ubi et nos quædam addemus. Ex justitia autem cœlitus nobis donata, quamque Spiritu Dei acti operamur, nos coram Deo justos pronuntiari, itidem facile demonstrari potest. Et hic quidem in antecessum tribus verbis probabo, hanc fuisse S. Jacobi doctrinam, imo ipsam ejus thesin, quam cap. ii. Epistolæ suæ adeo acriter defendit; in addendis autem ad sequentia capita idem ex aliis S. Scripturæ locis, ipsisque Pauli epistolis, aliisque argumentis confirmabo.

3. Quod hæc phrasis, *Hominem ex operibus justificari*, S. Jacobo idem sit ac *ex actibus justitiæ justum declarari atque prædicari*, illi ipsi, contra quos disputamus, haud eunt inficias. Id solum excipiunt, nos operibus justos declarari et ostendi coram hominibus, non coram DEO. At

vero inane hoc effugium ipsis prorsus præclusum est Dissertatione II. cap. 1. ubi aliquot argumentis evincitur, quod Jacobus de justificatione coram DEO loquatur; quibus unum atque alterum ibidem annectam. Hic id tantum in præsentem rem addo, quod Jacobus frater Domini procul dubio pari ratione ac eodem sensu dixerit, *nos ex operibus justificari*, quomodo ipse Dominus ait Matt. xii. 37. ἐκ τῶν λόγων σου δικαιωθήσῃ, *Ex verbis tuis justificaberis*; (nisi quod hic loquatur de extremo judicio, ille de eo quod in hac vita præcedit, sed eadem ratione procedit, ut sequenti cap. iii. probatum est.) Verborum enim et factorum nulla in hoc negotio est differentia; unde S. Jacobus de utrisque scribit hoc ipso cap. ii. 12. *Sic loquimini et sic facite, tanquam per legem libertatis judicandi*. Atqui istius Servatoris dicti non alius fingi potest sensus, nisi quod ex verbis nostris, si bona atque utilia ea fuerint, justitiæ laudem eique annexum æternæ salutis præmium a DEO simus reportaturi; ergo et ex operibus bonis nos eodem modo justos a DEO prædicari, indeque salvari docuit Jacobus: quod erat demonstrandum.

AD SECT. 8.

Phrasi illa ἐξ ἔργων, &c.] Particula ἐξ non *causam principalem*, puta *efficientem* aut *meritoriam*, sed eam quæ vulgo *causa sine qua non*, aut potius *conditio* dicitur, tam a Jacobo, quam a Paulo, ubi fidei et operibus fidei justificantibus præponitur, denotatam esse, rectissime vir reverendus asserit; respectu scilicet habito ad posteriorem, quam ante diximus, justificationis nostræ partem, remissionem peccatorum ac jus ad æternæ salutis præmium consequendum, sicut semetipsum in fine hujus sect. explicat. Ast si priorem justificationis nostræ partem spectes, propriamque hujus verbi notionem, qua significat justum jam vere talem ac novæ legis observatorem declarare ac pronuntiare justum, præpositione ἐξ *formalis* causa denotari mihi videtur, quando *homo ex fide et operibus justificari* dicitur. Fides enim et reliquæ Christianæ virtutes, atque actiones inde profectæ, sunt ipsa hominis justitia, per quam 1. formaliter justus coram DEO censetur, et per quam 2. tan-

quam per medium, sive conditionem præstitam, gratuitum remissionis peccatorum ac vitæ æternæ donum obtinet. Atque hæc ipsa est distincte et, nisi fallor, recte exposita S. Jacobi assertio, quam in universa S. Scriptura firmissime fundatam esse, ex sequentibus capitibus, tibi, Christiane lector, manifestissime patebit, si attente ac citra præjudicium, uti veritatis tuæque salutis ratio poscit, ea legeris, nec oculos adversus clarissimam veritatis lucem clauseris.

CAP. II.

8

Conclusio Jacobi argumentis adstruitur. Argumentum primum ab aliis Scripturarum testimoniis. Quorum duæ classes; prima eorum, quæ de obedientia tanquam ad justificationem necessaria generatim loquuntur: altera eorum, quæ opera pœnitentiæ speciatim postulant. Occurritur exceptioni adversariorum. Fidei et pœnitentiæ idem est in justificationis negotio respectus. Utraque, conditio tantum, sive instrumentum morale. Quæ sit illa fides, cui tantum in Scripturis tribuitur? Quo respectu fides cæteris præstet cirtutibus?

1. PERGAMUS jam ad illud Dissertationis nostræ membrum quod secundo in loco positum erat; nempe, ut hanc Jacobi hypothésin, de necessitate bonorum operum ad justificationem obtinendam, argumentis aliquot muniamus.

2. Primum igitur argumentum ducetur ab aliis Scripturæ testimoniis, quæ hanc ipsam veritatem non minus clare asserunt ac defendunt. Neque enim putandum est, sanctum Jacobum paradoxum aliquod aut sibi peculiare dogma venditare. Nihil minus. Quod loquitur, vox est Spiritus Sancti ubique idem personantis. Idem testantur prophætæ, idem apostoli, idem Christus ipse. Hæc doctrina sacerarum Scripturarum utraque fere paginam com-

plet; ut ausim dicere, aliam ullam vix dari posse, quæ in sacris libris tam clare asseritur, aut toties inculcatur. Sed ne temere vagetur oratio nostra, testimonia hæc in duas classes dispertire visum est.

3. Prima classis eorum erit, quæ generatim de bonis operibus, de pietate, de sanctitate, de obedientia (quæ omnia eodem recidunt) loquuntur, tanquam conditione necessario requisita, ut quis Deo ad salutem gratus sit, i. e. justificetur; (ista enim synonyma sunt.) Agmen ducet locus ille Isaïæ i. 16, 17, 18. *Lavate vos, purificate vos, amovete malignitatem actionum vestrarum e conspectu oculorum meorum: desinite malefacere, discite benefacere, quærite jus, beate oppressum; jus dicite pupillo, suscipite causam viduæ. Venite jam, et disceptemus, inquit Jehova: si fuerint peccata vestra velut dibapha, tanquam nix exalbescent; si rubra fuerint velut coccineum, similia lanæ erunt. Huic geminum est illud Ezek. xxxiii. 14, 15, 16. Quum dixero improbo, Omnino moriturus es; si reversus a peccato suo exercuerit iudicium ac justitiam, pignus restituerit improbus, raptum reddiderit, in statutis vitæ ambulaverit non faciendo iniquitatem, omnino vivet, non morietur: omnia peccata ejus, quibus peccavit, non memorabuntur ei; iudicium et justitiam exercuit, omnino vivet. Quis non videt hisce in locis quasi cumulum bonorum operum, quæ si quis non præstiterit, ei spes veniæ ac remissionis peccatorum omnis omnino intercluditur; atque in genere requiri, ut desinamus malefacere, benefacere discamus, ut in statutis vitæ ambulemus? Dicet (forsan) aliquis: Vetus hæc Testamentum sapiunt; quid hæc ad nos? Imo vero (inquam ego) ipsissima est hæc evangelii vox; lex*

enim peccatorum, præsertim (qualia in locis istis commemorantur) graviorum, veniam perfectam nullam indulgit, ut modo^r obiter dictum est, et postea^s suo loco fusius demonstrabitur.

4. Hæc autem si quis præfracte negat, audiat ipsius Servatoris vocem, Joh. xiv. 21. *Qui tenet præcepta mea, et observat illa, is est qui diligit me: qui autem diligit me, diligitur a Patre meo: et ego diligan eum, et ei conspiciendum exhibebo me ipsum.* Et ver. 23. *Si quis diligit me, meum sermonem observabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et apud eum habitabimus.* Hic talem dilectionem, quæ mandatorum Christi observationem pariat, requiri, ut quis Dei amore fruatur, h. e. justificetur, ipsa luce clarius est. Notabilis est et iste locus Matt. xi. 28, 29. et eo notatu dignior, 9 quod solennem fœderis evangelici promulgationem aperte continet. Verba sunt: *Venite ad me omnes qui fatigati estis et onerati, et ego faciam ut requiesceatis. Attollite jugum meum in vos, et discite a me, quod mitis sum, et humilis corde: et invenietis requiem animabus vestris.* Jugum Christi est lex ejus (vide 1 Joh. v. 3.): hoc quisquis non attollit, h. e. legem Christi in se præstandam suscipit, ei nulla animæ requies, nulla a peccatis liberatio promittitur. Clara sunt etiam verba Christi Joh. xv. 14. *Vos amici mei eritis, si feceritis quæcunque ego præcipio vobis.* Nemo igitur Christi amicus, nisi hac lege, ut universa ejus mandata observet.

5. Audivimus Christum; consulamus jam Christi apostolos. Et loquatur primus (ut par est) apostolorum princeps Petrus, Act. x. 34, 35. *Οὐκ ἔστι προσ-*

^r [I. 4.]

^s [Diss. Post. viii. 10.]

ωπολήπτῃς ὁ Θεὸς, ἀλλ' ἐν παντὶ ἔθναι ὁ φοβούμενος αὐτὸν καὶ ἐργαζόμενος δικαιοσύνην δεκτὸς αὐτῷ ἐστί. “Deus nullus personam respicit; is omnis et solus ei ad salutem δεκτὸς, acceptus est, qui justitiam operatur^t.” Quid clarius? Idem docet sanctus Johannes, 1 Epist. i. 7. *Si in luce ambulamus, sicut ipse est in luce, communionem habemus cum eo mutuam; et sanguis Jesu Christi Filii ejus purificat nos ab omni peccato.* Nulla igitur cum DEO communio, nulla per sanguinem Christi a peccatis purificatio (hæc autem quid aliud quam justificationem sonant?) nisi illis qui in luce ambulant, h. e. sanctitatis opera faciunt. Insignis est et locus ille Heb. x. 14. *Μιᾷ γὰρ προσφορᾷ τετέλειωκεν εἰς τὸ διηνεκές τοὺς ἁγιαζομένους. Unica enim oblatione consummavit in perpetuum eos qui sanctificantur.* Vox *τελειοῦν* (ut de aliis ejus significationibus taceam, quas notarunt critici) hic et alibi apud hunc authorem significat *expiare*, idque tam perfecte, ut qui ita expiatus sit, ei nihil desit, nulla alia oblatione sive sacrificio, imo ne sacrificii quidem ejusdem iteratione indigeat. Isto sensu vox manifeste sumitur hoc ipso capite ver. 1. sicut et hujus Epistolæ cap. vii. 11. Jam itaque expiationem sive a peccatis liberationem Christi morte factam liquido restringit divinus author ad *ἁγιαζομένους*, h. e. eos qui et corde et opere sancti sunt; clare innuens, merito Christi justificari, non nisi qui Spiritu Christi prius sancti redduntur. Justificatio nimirum sanctificationem (saltem primam et imperfectiorem) sequitur. Quod et Petrus etiam clare ostendit Epist. 1. cap. i. 2. ubi pulchre humanæ salutis ordo describitur. Præcedit prius ἁγια-

^t Hanc verborum Petri paraphrasin vir reverendus masculine defendit in Examine Censuræ, Respons. ad Animadv. V. GRABE.

σμός Πνεύματος εἰς ὑπακοήν, *sanctificatio Spiritus ad obedientiam*; deinde sequitur ῥαντισμός αἵματος Ἰησοῦ Χριστοῦ, *aspersio sanguinis Jesu Christi*; scil. ad justificationem^u. Confer 1 Cor. vi. 11. Pene infinitus essem, si loca omnia Novi Fœderis huc pertinentia citarem. Quisquis vel fortuito sacros illos libros aperuerit, fere necesse est ut in aliquid incidat, quod si serio legat et sincere expendat, in hanc veritatem ipsum quasi manu ducet.

6. Progrediamur igitur ad secundam classem testimoniorum, eorum sc. in quibus opera quædam specialia tanquam ad justificationem omnino necessaria præscribuntur.

Huc pertinent loca, quæ *pœnitentiam* sive *resipiscentiam* exigunt, ut conditionem præcedaneam, sine qua nemo peccatorum veniam a DEO obtineat. Talia passim occurrunt in Novo Fœdere, et satis nota sunt; citationum igitur multitudini supersedebimus, loco uno vel altero contenti: Act. ii. 38. *Resipiscite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomen Jesu Christi in remissionem peccatorum, et accipietis donum Spiritus Sancti.* Et Act. iii. 19. *Resipiscite igitur et convertite vos, ut deleantur peccata vestra, postquam venerint tempora refrigerationis a conspectu Domini.* His in locis, præter fidem, etiam resipiscentiam a peccatis, et conversionem ad Deum, ad remissionem peccatorum sive justificationem necessario requiri, nemo est qui non videat*.

7. Id porro notandum est, resipiscentiam non esse

^u Adversus hæc cavillanti adversario clariss. auctor respondit in Examine Censuræ, Respons. ad Animadvers. VI. ubi et nos quædam addemus. GRABE.

* Quæ huic argumento objecit Censor, ea prolixè discussit doctissimus auctor in Respons. ad Animadv. VII. GRABE.

opus unicum, aut simplex, sed multorum aliorum operum quasi complexionem. Suo enim ambitu comprehendit sequentia opera, nec pauca, neque ignobilia. 1°. De peccatis tristitiam, 2 Cor. vii. 10. 2^{do}. Humiliationem sub manu Dei, qua quis se iræ divinæ obnoxium humiliter agnoscit, Jac. iv. 10. 3°. Peccatorum odium ac detestationem, Ezek. vi. 9. et xx. 43. et xxxvi. 31. 4°. Peccatorum confessionem, 1 Joh. i. 9. 5°. Ardentem ac supplicem misericordiæ divinæ implorationem, Act. viii. 22. 6°. Amorem Dei, Exod. xx. 6. 7°. A peccatis cessationem, Prov. xxviii. 13. Esai. i. 16. 8°. Firmum novæ obedientiæ propositum, Act. xi. 23. 9°. Male partorum restitutionem, Ezek. xxxiii. 14, 15. Levit. vi. 1—7. Luc. xix. 8, 9. quod quidem pœnitentiæ opus ad remissionem peccatorum absolute necessarium esse in eo, cui restituendi facultas suppetit, adeo apud omnes in confesso est, ut inde ortum sit tritum axioma, theologorum omnium calculo comprobatum: *Non remittitur commissum, nisi restituatur ablatum.* 10°. Remissionem eorum, quæ in nos proximi peccarunt. Hanc tanti facit Servator, ut non semel profiteatur, peccatorum veniam a Deo nemini sperandam esse, qui eandem proximo non ultro ac lubens concesserit, Matth. vi. 14, 15. 11°. Opera beneficentiæ, sive eleemosynas. Quæ quanti valeant ad remissionem peccatorum a Deo impetrandam, satis liquet ex celebri loco Dan. iv. 27. ubi sanctus propheta regi Nebuchadnezzari adhuc in peccatis hærenti salubre hoc consilium suggerit: *Peccata tua eleemosynis^y redime, et iniquitates tuas miseri-*

^y פרק Chaldæum respondet Hebræo פרה. vide 2 Sam. iv. 9. Num. iii. 49. et xviii. 15. Recte ergo Theodotion vertit, λύτρωσαι. Vide Grot. in locum.

cordiis pauperum. Sic versio vulgata, secuta LXX. interpretes, qui vocem Hebraicam $\eta\kappa\tau\zeta$ per $\epsilon\lambda\epsilon\eta\mu\omicron\sigma\acute{\upsilon}\nu\eta$ (ex orientali nimirum idiomate) reddiderunt. Sed parum refert, quam versionem sequamur, cum de misericordia erga pauperes in posteriori clausula agi omnes consentiant. His consentaneum est illud, quod in Novo Testamento docet Jacobus noster hoc ipso capite 2^{do}. ver. 13. *Damnatio absque misericordia ei, qui non præstiterit misericordiam.* Qualem autem misericordiam intelligat, liquet ex sequentibus ver. 15, 16. Consule Luc. xi. 41. (et Grotium in locum,) Esaïæ i. 17. Luc. xvi. 9. 1 Tim. vi. 17, &c. 1 Pet. iv. 8. Heb. xiii. 16: ut vere dixerit Chrysostomus (oratione de pœnitentia) $\text{Μετάνοια χωρὶς ἐλεημοσύνης νεκρά ἐστὶ καὶ ἄπτερος}$. Atque hinc (ut id obiter notem) ortus est mos ille in veteri ecclesia observatus, quo ab iis, qui delictis gravioribus in ecclesiasticam censuram incidissent, ut absolutionis capaces fierent, exigebatur non tantum peccatorum confessio, et vitæ ante actæ emendatio, sed et misericordiæ opera, ab iis $\acute{\alpha}\gamma\alpha\theta\omicron\epsilon\rho\gamma\acute{\iota}\alpha\iota$ dicta. Vides quam late se diffundant pœnitentiæ opera; vides ea omnia ad veniam peccatorum consequendam a Spiritu Sancto omnino necessaria statui.

8. Hæc qui agnoscunt, (nemo autem nisi qui in Libertinorum castra se totum dederit, ea ausit negare,) mirum est, quo $\sigma\omicron\phi\hat{\omega}$ $\phi\alpha\rho\mu\acute{\alpha}\kappa\omega$ paradoxum suum de justificatione per solam fidem (ut fides ab iis a pœnitentiæ operibus divulsa accipitur) valeant defendere. Dicent fortassis (ut revera solent dicere) pœnitentiam solummodo requiri ut *dispositionem præcedaneam*, qua peccator ad remissionem peccatorum præparetur; fidem vero esse unicum illud *instrumentum*, quo remissio ista quasi manu acci-

piatur; ideoque non immerito dici, nos fide sola justificari. Verum egregie hic hallucinantur, idque duplici nomine. 1^o. Quod manifeste statuunt pœnitentiæ opera fidem præcedere, quod falsissimum est. Neque enim de peccatis dolere, ea detestari, propositum novæ vitæ suscipere, et cætera prius dicta pœnitentiæ opera (quæ ἀξίους τῆς μετανοίας καρπὸς eleganter dixit Baptista [Matt. iii. 8.]) perficere aut possit, aut velit, qui non seriam Christi evangelio fidem prius habuerit. Liceat ergo tali dilemmate eos urgere: Si fides sola et per se justificat, hoc officium præstat vel ante pœnitentiæ opera producta, vel non nisi postea. Si *antea* dicunt, quomodo ergo pœnitentia ab iis dicitur dispositio præcedanea ad justificationem? quomodo etiam pœnitentiæ opera ad justificationem a Spiritu Sancto necessaria statuuntur ei, qui fide sola jam ante justificatus fuerit^z? Si vero respondeant, fidem non nisi *post* hæc opera producta justificare, in unam harum absurditatum incidant necesse est, ut dicant, vel fidem ante pœnitentiæ opera non extitisse, vel, quod ad justificationis effectum attinet, otiosam fuisse. Dices: Etsi pœnitentia a fide fluat, atque adeo fides ordine naturæ sit pœnitentia prior, possint tamen et fides et pœnitentia in uno eodemque temporis momento simul existere. Respond. Illud mire absurdum, imo plane impossibile est: fieri non potest, ut fides pœnitentiam eliciat in instanti. Ut enim quis de peccatis doleat, ea detestetur, humiliet se sub manu Dei, actum amoris erga Deum exerat, propositum novæ vitæ concipiat, tempore et serie

^z Vide de his Examen Censuræ, Respons. ad Animadvers. VIII. GRABE.

quadam pii discursus omnino opus est. Subtiliora hæc esse fateor; sed dignum est patella operculum; objectioni quadrat responsio: cum λεπτολόγοις istis λεπτολογεῖν plane necesse fuit.

9. 2^{do}. Quod jactant de instrumentalitate fidei in justificationis negotio, nihil etiam quam meram et inanem subtilitatem redolet^a. Præterquam enim quod extra Scripturas hic loquuntur, si instrumentum stricte et proprie sumatur pro causa efficiente minus principali, clarum est, fidem justificationis instrumentum nullo modo dici posse. Nam primo, cum justificatio sit actio Dei solius^b, eaque tota extra nos producta, quomodo vel fides nostra, vel quævis nostra actio ad justificationis effectum producendum physicam ullam efficientiam habeat, prorsus ἀκατάληπτον est. Deinde omnis causa instrumentalis (ut jam innuimus) suo modo in effectum influit, eique effecti productio proprie attribui potest. Jam vero, cum justificatio nihil aliud sit quam gratiosus Dei actus, quo peccata nostra nobis condonet, ac nos ad salutem acceptet, valde absurdum esset dicere, vel fidem, vel opera nostra, vel quidvis aliud nostri aut remittere peccata nostra, aut personas nostras acceptare: quod tamen, si instrumentalis causa justificationis fides sit, plane dicendum esset. Aanon igitur (inquies) recte dici potest, fide nos Christum accipere, ac beneficium justificationis ab ipso partum amplecti? Resp. Quanquam, an ista Christi acceptio non sit potius charitatis actus, quam fidei, a nonnullis non immerito dubitetur; de eo tamen (in præsentia) cum quoquam contentionis serram reci-

^a Hoc doctissimus auctor egregie defendit in Examine Censuræ, Resp. ad Animadv. IX. GRABE.

^b Vide Eccles. nostræ Homil. de Salute, Par. II. p. 17.

procure nobis non est animus. Pro confesso id sumatur. Quod regerimus, hoc est : hunc actum amplectendi Christum a justificationis actu *δις διὰ πασῶν* et toto cœlo distare ; cum sit actus noster, justificatio vero solius Dei. Etiam si igitur concederemus, habitum fidei esse instrumentum istius actus, quo Christum amplectimur ; qui tamen inde intulerit, fidem esse etiam justificationis instrumentum, manifestissimæ certe inconsequentia reus tenebitur. Ut ergo quod res est dicam, si fidem instrumentum esse velimus, fieri non potest, ut concipiatur alio modo instrumentum esse, quam quatenus opus est ex præscripto et per gratiam Dei a nobis præstitum. Condicio enim, quatenus præstita est, aliquo modo medium, sive instrumentum dici potest, quo consequimur rem, quæ sub conditione promittitur : et vocatur hoc a nonnullis instrumentum morale. Et si hoc sensu instrumentum sumatur, (nempe pro conditione sive instrumento morali,) fidem esse unicum justificationis instrumentum omnino negamus : cum (ut jam^c satis evicimus) etiam pœnitentiæ opera non minus necessaria ad justificationem obtinendam a Spiritu Sancto diserte statuuntur.

10. Dices : Si hæc vera sint, quænam est fidei illius, de qua toties et tam magnifica loquitur Scriptura, supra cætera pietatis opera præstantia ? Quid periculosius, quam fidem non solum ut ex se ad justificationem prorsus insufficientem rejicere ; sed et in eundem censum cum cæteris operibus redigere, et non minora istis quam fidei ipsi tribuere ? Resp. Ad hanc objectionem plerique, veluti ad Gorgonis caput, ipso aspectu contremiscunt ; nec diffi-

teor eam esse prima fronte satis terribilem. Verum enimvero quisquis animum recipiens ad eam propius accesserit, inane spectrum ac puerile prorsus terculamentum illico persentiscet. Fides enim illa, cui tot et tanta tribuuntur in Novo Testamento, (ut id in antecessum dicatur,) pro unica ac simplici virtute nequaquam sumenda est. Suo enim ambitu (quod suo loco clare ostenditur) omnia Christianæ pietatis opera comprehendit. Ubiunque autem accipitur ut opus per se distinctum, atque ab aliis omnibus virtutibus disjunctum, tantum abest ut ei primas tribuat Spiritus Sanctus, ut post charitatem fere tertio loco ab ipso Paulo collocetur, 1 Cor. xiii. ult. *Νυνὶ δὲ μένει πίστις, ἐλπὶς, ἀγάπη· μείζων δὲ τούτων ἡ ἀγάπη.* Neque id solum intelligendum de duratione charitatis in vita futura, quasi eo tantum nomine fidei præstaret (quod video nonnullorum esse *κρησφύγετον*); quippe quæ in hac ipsa vita fide longe utilior atque excellentior ab apostolo ver. 2. diserte statuatur. Concedimus nihilominus, alio respectu fidem ipsa charitate, atque adeo aliis omnibus virtutibus superiorem evadere, in hoc sc. quod aliorum operum omnium radix ac fundamentum sit, et quasi mater cæterarum virtutum; non quod eas necessario pariat, sed quod parere apta nata sit, quin etiam, si vis ejus crebra ac seria consideratione excitetur, et quasi foveatur, tantum non certo producat: (qui enim rebus evangelii tum firmo assensu credit, tum attento eas animo expendit, pene impossibile est, ut is non pius exinde evadat:) denique quod nulla virtus in homine existere possit, quæ non ex hujus fidei quasi utero prodeat. Jam matrem, licet alias inferiorem, hoc ipso tamen quod mater sit, filiæ præstare quis nescit? Atque huc proculdubio referenda

sunt, quæ de fide copiose disserit autor ad Hebræos cap. xi. per totum ; ubi multa atque adeo magnifica fidei tribuit, nec non egregia omnia piorum, qui in Veteri Testamento claruerunt, facinora ex fide profecta esse pulchre ostendit. Denique verissima hæc est causa (ut id in antecessum etiam dicatur) cur universa Christianæ pietatis opera ab apostolo Paulo in suis Epistolis fere sub fidei nomine comprehendantur : nimirum ab eo fructus in semine censetur.

ANNOTATA J. E. GRABE

AD CAP. II.

AD SECT. I.

1. Per bona opera, speciatim per actus pœnitentiæ, nos gratiam DEI ac remissionem peccatorum impetrare, vir reverendus pluribus sacrorum Scriptorum testimoniis solidissime probavit. Non abs re autem fore puto, si aliqua Scripturæ præmittantur dicta, quæ demonstrant, fideles ex bonis operibus justos in DEI judicio declarari, sicque plenam ejus gratiam ac perfectam peccatorum remissionem adipisci. Sane a nemine melius ac certius discere possumus, ex quo aliquis justus in foro divino declaretur, quam ab ipso DEO judice, sententiam pronuntiante. Ita vero is Ezech. xviii. 5. seqq. *Vir, inquit, si fuerit justus, et fecerit judicium et justitiam, in montibus non comederit, et oculos suos non levaverit ad idola domus Israel, et uxorem proximi sui non violaverit, et ad mulierem menstruatam non accesserit, et hominem non contristaverit, pignus debitori reddiderit, per vim nil rapuerit, panem suum esurienti dederit, et nudum operuerit vestimento, ad usuram non commodaverit, et amplius non acceperit, ab iniquitate averterit manum suam, et judicium verum fecerit inter virum et virum, et in præceptis meis ambulaverit, et judicia mea custodierit, ut faciat veritatem, hic justus est, N. B. vita*

vivet, ait Dominus Deus. Et ver. 21. seq. Vita vivet, et non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor: in justitia sua, quam operatus est, vivet. Quibus verbis DEUS ita clare pronuntiat, se ex bonis operibus et observatione mandatorum suorum hominem justum censere ac declarare, et quidem in ordine ad concedendam veniam præteritorum peccatorum et gratiam futuræ vitæ; ut qui hæc non perceperit, is audiens non audire, et videns non videre mihi videatur. Idem vero populum Judaicum jam ante docuit DEI interpretes Moses Deuteron. vi. ult. *Eritque nobis justitia, id est, in eo justitia nostra consistet, si custodierimus et fecerimus omnia præcepta ejus coram Domino DEO nostro, sicut mandavit nobis.* De Pineha sacerdote David Psalm. cvi. 31. canit: *Et stetit Pinehas, et judicavit, et cessavit plaga, et reputatum est ei in justitiam in generationem et generationem usque in sempiternum.* Quod ne in respectu ad opinionem hominum, sed ipsius DEI judicium dici putes, accipe verba divini Numinis Num. xxv. 11. seq. *Phinees filius Eleazari, filii Aaron sacerdotis, avertit iram meam a filiis Israel, quia zelo meo commotus est in medio eorum, ut non ipse delearem filios Israel in zelo meo. Idcirco loquere ad eum: Ecce do ei pacem fœderis mei, et erit tam ipsi quam semini ejus pactum sacerdotii sempiternum, quia zelatus est pro DEO suo, et expiavit scelus filiorum Israel.* Imo aliquando Scriptura, dum bona fidelium opera memorat, eosque inde appellat justos, expresse addit: *coram DEO.* Sic Luc. i. 6. de Zacharia et Elisabetha: *Erant autem ambo justî coram DEO, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini irreprehensibiles.* Et ver. 75. *In sanctitate et justitia coram ipso.*

2. Præ aliis autem N. T. locis clarissimus est, et maximam meretur considerationem ver. 7. cap. iii. Epist. 1. Joannis, ita sonans: *Filioli, nemo seducat vos. Qui facit justitiam, justus est, sicut et ipse justus est.* Clarissimus, inquam, est hic locus, quia disertis verbis cum, qui operatur justitiam, exinde justum pronuntiat, et quidem petinde ut Christus juste agendo justus fuit; non solum coram homi-

nibus, sed et coram DEO. Consideratione autem maxima dignum dixi, quia præfatur apostolus, *Filioli, nemo vos seducat*; respiciens ad Simonem Magum vel potius successores ejus, quibus totam istam S. Joannis Epistolam oppositam esse, alibi prolixè probavi, atque ultimum etiam apostoli monitum, *Filioli custodite vos a simulacris*, exposui de imaginibus Simonis et Helenæ juxta figuram Jovis ac Minervæ factis, atque ab hæreticorum istorum caterva adoratis, teste Irenæo lib. I. 20. [c. 23. p. 99, 100.] Nam impostor iste inter alia docuit; “Secundum ipsius gratiam
 “salvari homines, sed non secundum operas justas; nec
 “enim esse naturaliter operationes justas, sed ex accidenti,
 “quemadmodum posuerunt, qui mundum fecerunt, angeli,” prout Irenæi de eo verba sonant loco citato. Contra quæ S. Joannes docet, Peccatum nihil aliud esse quam *ἀνομιαν*, id est, transgressionem legis a DEO positæ; in actionibus autem ad ejus normam compositis justitiam nostram consistere, coram ipso DEO scilicet, et quidem in ordine ad æternam salutem: istud enim Simonianos negasse, ex allegatis Irenæi, nec non aliorum Patrum verbis constat; ac proinde Joannem eos oppugnantem id affirmasse, nullum est dubium.

3. Sed ad apostolum Paulum tandem deveniamus, dispicientes utrum non et ipse ex bonis operibus nos justificari, id est, justos coram DEO censi doceat. Certum est, quod nos justificari velit ex ista *justitia DEI*, cujus aliquoties mentionem facit, ubi hac de re disputat. Per illam itaque si justitiam a DEO donatam, sive quatenus eam operamur, sive quatenus ea in judicio divino approbatur, apostolum intellexisse probavero, ex illa nos coram DEO justificari, juxta ejusdem doctrinam necessario consequetur. Primo *justitiæ DEI* mentionem facit Rom. iii. 21. *Nunc autem justitia DEI manifestata est, testificata a lege et prophetis.* Atqui activam justitiam testimonio suo commendasse legem et prophetas, ex ante allegatis Mosis et Ezechielis locis constat: quæ quidem Paulus in mente habuisse, præcipue autem respexisse videtur locum Deuteron. xxx. unde quædam citans, sequenti cap. x. 6. ita scribit: *Quæ est ex*

fide justitia, ita dicit: Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cælum? id est Christum deducere; aut Quis descendet in abyssum? hoc est Christum a mortuis reducere. Sed quid dicit? Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo. Hoc est verbum fidei, quod prædicamus. Verbum autem quod Moses prope esse dicebat, erat præceptum justitiæ activæ, siquidem post ista: Prope est verbum in ore tuo; et in corde tuo, continuo, nulla voce interposita, addit^d, ut facias illum. Et mox ver. 16. distinctius semetipsum explicat, dicens: Præcipio tibi, ut diligas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et custodias mandata illius ac ceremonias atque judicia, et vivas. Deinde Paulus Rom. vi. 13. ait, Exhibete vos DEO tanquam ex mortuis viventes, et membra vestra arma justitiæ DEO. Mox ver. 18. Liberati autem a peccato, servi facti estis justitiæ. Ubi justitiam inhærentem ipsi adversarii intelligunt. Porro cap. x. 3. apostolus scribit: Ignorantes enim justitiam DEI, et propriam justitiam quærentes statuere, justitiæ DEI non sunt subjecti, οὐκ ὑπετάγησαν. Quod verbum ὑποτάσσεσθαι quomodo ad justitiam imputatam quadret, perspicere nequeo; activæ autem vel ejus præceptis in evangelio datis optime congruere, nemo non videt; siquidem ὑποταγή, subjectio, manifeste respectum habet ad legem. Unde sicut hic dicit, Judæos propriam justitiam quærentes statuere justitiæ DEI haud subjectos esse; ita præcedenti cap. ix. 31. ait, Israel sectando legem justitiæ, (nempe Mosis, in tabulis scriptam,) ad legem justitiæ non pervenit; legem scilicet justitiæ Christi, per Spiritum DEI cordibus fidelium inscriptam. De hac enim præcedenti cap. viii. 2. seqq. ait, Lex Spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis (quam cap. vii. 23. dixerat in membris ejus existere). Nam quod impossibile erat legi, siquidem infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudine carnis peccati, et pro peccato, condemnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleatur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed

^d [Scil. Moses in Deut. xxx. 14.]

secundum Spiritum. Ex quo loco lux accedit quoque isti S. Pauli dicto Galat. iii. 21. *Si data fuisset lex, quæ posset vivificare, vere ex lege esset justitia; id est, si cum lege*

14 Spiritus S. vivificans nobis communicatus fuisset, tunc ex ista lege veram operati fuisset justitiam, ex quæ justos nos DEUS pronuntiasset. Satis clara quoque sunt verba apostoli Philipp. iii. 9. de semetipso dicentis: *Non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam quæ per fidem est Christi, eam quæ ex DEO est, justitiam in fide.* Hic enim iterum præpositio ἐκ justitiæ Christi a DEO nobis imputatæ non convenit; ad istam vero, quam ex dono DEI reapse accipimus, optime quadrat. Ad quam etiam digitum intendit, continuo addens, *Ut cognoscam eum* (Christum) *et virtutem resurrectionis ejus;* quam declarat Rom. vi. 4. scribens, *Ut quomodo Christus suscitatus est a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulamus.* Denique quis credat Paulum *justitiam DEI* in alio sensu accepisse vel tradidisse, quam quo ipse Servator, hujusque frater Jacobus, de ea locuti sunt? Atqui ille Matt. vi. 33. ait, *Querite primum regnum DEI et justitiam ejus (DEI).* Hic cap. i. Epist. ver. 20. *Ira hominis justitiam DEI non operatur.* Justitia itaque DEI, cujus mentionem apostolus de nostra coram DEO justificatione tractans identidem facit, est justitia quam per gratiam atque auxilium DEI operamur; ac proinde ex illa nos coram DEO justificari juxta ejus doctrinam plane constat.

4. Dices, Paulum tamen Rom. iii. 24. docere, quod *justificemur gratis gratia DEI propter redemptionem Christi.* Et cap. iv. 3. seqq. quod fides Abrahamo imputata sit, nobisque pariter imputetur in justitiam, *non secundum debitum, sed secundum gratiam:* unde sequitur, hominem non ex fide et reliquis virtutibus justum a DEO censi. Licet enim hæc a DEO gratis nobis donentur, tamen non gratis, sed merito ac debito jure inde justii declararemur, si in illis nostra coram DEO justitia consisteret. Resp. I. Si rem ipsam in se considerarem citra respectum ad objectos apostoli locos, dicerem quod gratis justii declaremur propter redemptionem Christi, quia justitia nostra suos habet de-

fectus, quatenus nempe cum originali integritate nobis concreata comparatur, et partim cum minoribus delictis est conjuncta: quos tamen bonorum operum defectus et peccatorum reatus DEUS gratis propter Christum non imputat, dum nos justos pronuntiat. Ast licet hoc in se sit verissimum, valde tamen dubito, imo inficias eo, apostolum in allegatis textibus isthuc respexisse; siquidem non de venialibus peccatis cum justitia consistentibus, hujusque imperfectione in stricto DEI judicio ibi agit, sed de criminibus ante justificationem commissis, (quæ προγεγονότα ἁμαρτήματα appellat,) iisque grandibus, quibus naturalis et legalis justitia est deturpata, ut ex eorum enumeratione cap. i. et ii. ac repetitione cap. iii. 9. seqq. liquido patet. Aliter igitur respondeo, sc. 2. consequentiam in objecto argumento non esse validam, eique repugnare istud vulgatum: *quod est causa causæ vel antecedentis, id etiam est causa causati sive consequentis.* Unde si ex gratia DEI propter meritum Christi fides ac justitia nobis donatur, quare non etiam gratiæ DEI ac satisfactioni Christi adscriberetur, quod justus in judicio DEI declaremur? Sane ipse Paulus ita ratiocinatur Rom. iv. 16. *Ideo ex fide, ut secundum gratiam;* quia scilicet ipsa fides est gratuitum DEI donum, prout alibi docet; seq. ipsum magis explicat his verbis Ephes. ii. 8. *Gratia estis salvati per fidem, (et hoc non ex vobis; DEI est donum,) non ex operibus, ne quis glorietur.* Quorsum etiam pertinent verba Christi Joan. vi. 29. *Hoc est opus DEI, (non hominum,) ut credatis in eum quem ipse misit.* Recte igitur dicimur gratia DEI propter redemptionem Jesu Christi justificari, quia justitia, ex qua justus declaramur, nobis gratis propter meritum sanguinis Christi est donata. Sed 3. quando apostolus dicit, nos gratis propter satisfactionem Christi justificari, respectum præcipue videtur habere ad posteriorem justificationis partem, qua a reatu atque pœna priorum criminum absolvimur, et quasi pro justis habemur, cum tamen revera peccatores fuerimus. Unde priori loco Rom. iii. 25. expresse addit: *διὰ τὴν πᾶρσι-σιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων,* quomodo et Hebr. ix. 15. dicit mortem Christi factam *εἰς ἀπολύτρωσιν τῶν ἐπὶ τῇ πρώτῃ*

διαθήκη παραβάσεων. Similiter posteriori loco, ubi dicit *fidem Abrahamo imputatam fuisse in justitiam*, item *nobis justitiam imputari non secundum debitum, sed secundum gratiam*, haud de præsentī eorum qui justificantur justitia loquitur, vel id vult, quod fides illis in justitiam imputetur, qua alioqui impræsentiarum careant; sed respectum habet ad præteritam eorum vitam, quando erant ἀσεβείς, (ut expresse appellat,) id est, irreligiosi ac maligni divinarum legum transgressores, et loco justitiæ, qua tunc prorsus destituti erant, eis præsentem fidem ac vitæ integritatem imputari docet, hæcque præterita scelera quasi tegi et obliterari. Unde mox verba Davidis Psalm. xxxii. 1. seq. citat: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Quibus tamen cum Psalter continuo subjungat: *Et in spiritu eorum non est dolus*, de præsentī eorum integritate satis testatur. Ob præteritorum igitur peccatorum veniam, quam DEUS largitur, simul ac nova hominis justitia coram facie ejus apparet, impium secundum gratiam justificari, ac *justitiam ei imputari* dixit apostolus, id est, *peccatum ei non imputari*; quas duas phrases tanquam æquipollentes ab apostolo usurpatas esse, ipsi adversarii concedunt, imo sæpe ad suæ causæ defensionem, licet frustra, urgere solent. Sed satis ad hanc objectionem. Quid vero ad aliam ex istis locis, ubi apostolus negat, *hominem ex operibus justificari*, petitam sit respondendum, ex Dissertatione II. benevolus lector abunde discere poterit.

AD SECT. 3.

Perpetua est adversariorum exceptio, quod conversio a peccatis ac bona opera ab Ezechiele aliisque prophetis requirantur ut necessaria *ante* justificationem, sed non *ad* justificationem; quodque in homine quidem justificando ea præsto sint, (ob veram scilicet fidem, a qua bona opera separari haud posse fingunt,) attamen quod per illa haud justificetur, sed sola fide. Hanc enim unice, non vero bona opera DEUM in actu justificationis respicere, indeque per prophetam dicere, *Judicium et justitiam fecit, vivendo*

vivet; non autem, *quia iudicium et justitiam fecit*, &c. Sed mirum est, homines adeo vanis commentis sibi aliisque imponere, ac Deo quasi in os contradicere. Equidem isto Ezechielis loco, quem clariss. auctor allegat, cap. xxxiii. 16. scilicet, particula causalis non est addita in Hebræo textu; eam tamen ibi habent LXX. ὅτι κρίμα καὶ δικαιοσύνην ἐποίησεν, ἐν αὐτοῖς ζήσεται, nec non Arabicus interpres, et ipse Lutherus, princeps solius fidei justificantis patronus, in Germanica versione. Sensus quippe et connexio textus eam omnino requirit, adeo ut a quovis subintelligatur, licet non sit expresse addita. Imo vero est addita ab ipso propheta in loco parallelo cap. xviii. 19. *Et dicis, Quare non portavit filius iniquitatem patris? Quia filius iudicium et justitiam operatus est, omnia præcepta mea custodivit, et fecit illa, vita vivet.* Ita enim *vau* præfixum voci *filius* recte reddiderunt omnes interpretes, siquidem respondet præcedenti וַיַּעַן *quare*. Pergit Deus ver. 20. *Justitia justi super eum erit, et impietas impij erit super eum.* Et ver. 22. *In justitia sua, quam operatus est, vivet*; perinde ut ver. 24. de impio, *In peccato suo morietur.* Denique ver. 27. seq. *Cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, et fecerit iudicium ac justitiam, ipse animam suam vivificabit. Considerans enim et avertens se ab omnibus iniquitatibus suis, quas operatus est, vita vivet, et non morietur.* Concurrit igitur conversio pœnitentis ad effectum salutis animæ, ac per illam vivit, sicut impœnitens ob peccata moritur.

AD SECT. 4.

Ut modo memoratæ exceptioni hoc quoque loco occurratur, istis Christi verbis, quibus favorem Patris sui pollicetur diligentibus eum Joan. xiv. jungendum aliud Servatoris dictum sequenti cap. xvi. Joannis evangelistæ ver. 27. *Ipse enim Pater amat vos, quoniam vos me amastis, et credidistis quod a Patre egressus sim.* Ubi Jesus, quasi prævidens frivolum effugium, huic præcludendo particulam ὅτι usurpavit, et amoris ejus pariter ac fidei in ipsum *φιλίαν* DEI Patris adscripsit. Cæterum illustris quoque locus est, Matt. xix. 16. seqq. ubi ad quæstionem juvenis cujuspiam,

Magister bone, quid boni faciam, ut vitam æternam habeam? Servator diserte respondet, *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et similiter Luc. x. 28. legisperito, post recitatum de amore DEI ac proximi præceptum, ait, *Fac hoc, et vives.* Quibus in locis quamvis non de ipsa justificatione, sed vita æterna Christus loquatur, pro illa tamen, perinde ac pro hac, per præceptorum Dei observationem obtinenda argumentum depromere licet, saltem ex hypothesi istorum Solifidianorum, qui utriusque eandem volunt esse rationem, ac neutram bonis operibus nos consequi contendunt. Ridenda autem est, imo potius execranda violenta detorsio verborum Christi, qua fingitur, illis per errorem conantibus bene operando vitam æternam acquirere, juxta errorem eorum hoc sensu respondisse, *Si ista bonorum operum via vis ad vitam ingredi, fac periculum, et serva mandata:* item, *Fac hoc, si possis, et vives:* subintelligendum autem utrobique, *Sed mandata servare haud poteris, ac facere quod vane imaginaris, ideoque te*

16 *misere deceptum tandem videbis.* Quibus refutandis apte apta sunt verba Irenæi mci, hæreticos haud multum absimilia de Christo et apostolis commentos ita redarguentis lib. III. 5. “Dicunt hi, qui sunt vanissimi sophistæ, quoniam apostoli cum hypocrisi fecerunt doctrinam secundum audientium capacitatem, et responsiones secundum interrogantium suspiciones, cæcis cæca confabulantes secundum cæcitatem ipsorum, languentibus autem secundum languorem ipsorum, et errantibus secundum errorem eorum.—Hoc autem non est sanantium, nec vivificantium, sed magis gravantium et augmentium ignorantiam ipsorum.” Et paulo post de ipso Servatore: “Quoniam Dominus medicus venit eorum qui male habent, ipse testificatur, dicens, *Non est opus sanis medicus, sed male habentibus. Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.*—Non igitur jam secundum pristinam opinionem loquebatur eis, neque secundum suspicionem interrogantium respondebat eis, sed secundum doctrinam salutarem.” Deinde dicant qui nobis contradicunt, anne etiam apostolis per talem ironiam, qualem

allegatis in locis fingunt, dixerit Christus Joan. xiii. 17. *Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea*: et Joan. xv. 10, 14. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea; sicut ego præcepta Patris mei servavi, et maneo in ejus dilectione.*—*Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Id sane dicere nolent, scio.

AD SECT. 5.

Clare innuens, merito Christi justificari, non nisi qui Spiritu Christi prius sancti redduntur.] Nec obscure hoc innuit apostolus Tit. iii. 6, 7. de Spiritu S. scribens, *Quem effudit (Deus) in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.* Quasi haud justificemur, nisi Spiritu S. prius in nos effuso renovati. Frustra ergo sunt, qui ex 1 Corinth. i. 30. ubi *justitia sanctificationi* præponitur, probant, justificationem sanctificatione priorem esse. Nam in eadem Epistola vi. 11. ordine inverso scripsit Paulus, *Sed sanctificati estis, sed justificati estis*: ut de Luc. i. 75. aliisque Scripturæ locis nihil dicam, nec in genuinum sensum objecti loci 1 Corinth. i. 30. nunc accurate inquiram, ex quo forte contrarium colligi posset.

AD SECT. 7.

De eleemosyna sive misericordia erga pauperes, ad veniam peccatorum impetrandam maxime proficua, notandum quoque dictum Salomonis Proverb. xvi. 6. *Misericordia et fide redimitur iniquitas.* Cui consonum est istud cap. xv. 27. juxta LXX et vulgatam Latinam atque Arabicam versionem, *Per misericordiam et fidem purgantur peccata*: citatum a S. Cypriano sermone de eleemosyna, “Loquitur in Scripturis divinis Spiritus S. et dicit, *Eleemosynis et fide delicta purgantur.*” Sed quicquid de posteriori loco statuatur, priori Salomo jungit *misericordiam et fidem*, (sicut et ipse Servator fecit Matt. xxiii. 23. ea tanquam βαπτέρα τοῦ νόμου commendans,) ac utraque iniquitatem sive peccata redimi docet. “Impetratur,” inquit Piscator ad hunc locum, “a Deo remissio iniquitatis, ac proinde omissio

“ pœnæ.” Porro, missis apocryphis V. T. Scripturis, produco insuper ex N. T. verba Jacobi cap. ii. 13. ubi ait, Κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως et cap. v. ver. ult. de spirituali eleemosyna, conversione videlicet hominis a veritatis tramite aberrantis, Καὶ καλύψει πλῆθος ἁμαρτιῶν quod dictum, uti plura alia, S. Jacobus mutuatus est a S. Petro, qui de charitate, fonte omnis eleemosynæ, I Epist. iv. 8. scripsit, Ἡ ἀγάπη καλύψει πλῆθος ἁμαρτιῶν. A quo idem edoctus quoque S. Clemens, ab eodem ordinatus Romæ episcopus, loco infra Dissert. II. cap. xii. sect. 27. citato scripsit, “ per charitatem nobis peccata remitti;” mox citans verba Davidis, *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, &c.*



Argumentum secundum a notione Justificationis. Justificatio tria involvit, judicem, clientem, legem. Quæ sit illa lex, ad cujus normam justificatio vel condemnatio nostri peragenda sit, ostenditur. Argumentum inde formatur.

I. ALTERUM argumentum ad hypothesis Jacobi stabilendam peti potest ab ipsa notione ac natura justificationis. Hoc ut melius intelligatur, enucleatius explicandum est, quod superius sicco quasi pede præterivimus: nempe vocabulum justificationis esse forense, sive *juridicum*, atque adeo prima sui notione juris processum aperte connotare. In omni autem juris processu tria saltem statuenda sunt, judex, qui sententiam fert; reus, (quo nomine personam accusatam intelligo, qui talis apud Ciceronem appellatur, etiamsi criminis insous sit, et petitori opponitur,) qui in jus vocatur; ac denique lex, ad cujus normam judicium peragitur. Pariter in omni justificatione tria hæc reperiuntur, aut certe eorum singulis aliquid analogum. Sic v. g. cum dicitur

homo ex operibus legis, aut ex fide Christi in Dei conspectu justificari, reus hic est homo; judex Deus; norma, ad quam judicium dirigitur, est vel (ex altera parte) lex Mosaica, vel (ex altera) lex Christi, alicubi *lex fidei* dicta, sc. Rom. iii. 27. Nec quis justificari dici potest, nisi ad normam istius legis, per quam judicatur, absolvatur; sive sit ea lex Mosaica, sive Christi. Verbo dicam, nemo justificatur sive absolvitur, nisi qui legem, ad cujus normam judicatur, impleverit.

2. Restat igitur unicum illud inquirendum, nempe, quænam sit illa lex, cujus judicio nobis Christianis standum sit? Respondet hic pro nobis Jacobus noster hoc ipso capite, ver. 12. οὕτω λαλεῖτε, καὶ οὕτω ποιεῖτε, ὡς διὰ νόμον ἐλευθερίας μέλλοντες κρίνεσθαι. Lex igitur, per quam judicandi sumus, est νόμος ἐλευθερίας, *lex libertatis*, triplici nomine sic dicta; primo quod liberet nos a servili ceremoniarum Mosaicarum iugo; deinde quod per ipsam solam a reatu ac pœna peccati liberemur; ac denique νόμος ἐλευθερίας vocatur, (imo ideo præcipue,) quod a dominatrice vi ac tyrannide peccati nos liberet, sub cujus iugo, qui in lege Mosaica manserunt, sine ulla liberationis spe frustra ingemuerunt: quam liberationem efficit in nobis Spiritus Christi, qui legem Christi individuo nexu comitatur. Hæc ideo a nobis obiter notata, ne quis e Libertinorum fæce, cum de libertatis lege audiverit, illico Jacobum sibi adblandiri suspicaretur. Ut igitur e diverticulo in viam revertamur, νόμος ἐλευθερίας procul dubio eadem lex est ac νόμος βασιλικός, *lex regia*, i. e. Christi Regis nostri, de qua loquitur divinus author, ver. 8. Ea vero cujusmodi sit, verba in eodem versu immediata sequentia satis liquido ostendunt: Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς

σεντωνόν. Nimirum de Decalogo, sive lege decem præceptorum, intelligendus est Jacobus. Quod adhuc manifestius apparebit, si quis ver. 11. consulat, ubi nonnulla ejus legis præcepta speciatim enumerantur. Verbo dicam, νόμος βασιλικὸς et νόμος ἐλευθερίας^c, *lex regia* et *lex libertatis*, de qua loquitur Jacobus, et per quam nos judicatum iri affirmat, non est nisi ipsissima lex moralis, prout sc. eam et exposuit et perfecit Christus ipse, atque a monte (Sinai succedaneo) tanquam legem suam discipulis tradidit; addita sanctione, qua ut obedientibus firmissima immortalitas promittitur, ita immorigeris ineluctabilis denuntiatur interitus, Matt. vii. 24. et deinceps.

3. Hoc ideo curiosius observandum, ne errorem erremus, quem Lutherus, et post eum nostratum theologorum plerique^f, in disputationibus suis de justificatione contra pontificios, nimio contradicendi æstu abrepti, in ecclesias reformatas maximo earum malo invexerunt: sc. evangelium ex puris putis promissis constare; Christum dedisse mundo legem nullam; id tantum egisse, ut legem prius latam exponeret, atque a pessimis Scribarum ac Pharisæorum commentis assereret; legis moralis usum eum nunc esse unicum, ut per ipsam homines ad fidem Christi adducantur, vel saltem ut sit arbitraria quædam vivendi regula, a Christo quidem nobis commendata, cui obtemperare ex gratitudine teneamur, nequaquam vero sub periculo animæ, aut tanquam conditio Novi Fœderis ad salutem observatu necessaria, nobis imposita. Ex his principiis, incautius ab iis

^c Vide Jac. i. 25. ubi eadem lex appellatur νόμος τέλειος ὁ τῆς ἐλευθερίας.

^f Nostrates theologos quosnam vocaverit, declarat reverendus vir in Examine Censuræ, Resp. ad Animadvers. X. GRABE.

positis, atque a theologorum vulgo avide arreptis, per necessariam consequentiam deducta fluxerunt execrabilia Antinomorum, Libertinorum, Familistarum atque ejusdem farinae aliorum dogmata, de quibus fortasse boni illi viri ne per somnium quidem cogitarunt. Verum utut sit, qui talia docent et tamen in Libertinos magnis clamoribus vociferantur, quid aliud agunt, quam ut, dum illos damnant, seipsos condemnent? Quippe in præmissas consentiunt, conclusionem tantum respuunt. Ut huic pessimo errori obviam eatur, illud pro certo statuendum est, Christum in concione a Matthæo cap. v, vi, vii. tradita legem moralem non tantum exposuisse, sed etiam ut legem suam posuisse, ejusque observationem, gratia evangelica temperatam, ab omnibus Christianis tanquam conditionem fœderis sui omnino necessariam postulare. Neque de hoc dubitari amplius potest ab eo, qui concionis istius epilogum non prorsus oscitanter legit. Idem quoque clare liquet ex seria illa asseveratione, quam suæ illi legis vindicationi præmittit Dominus noster, Matt. v. 20. *Dico vobis, Nisi abundaverit vestra justitia plus quam illa Scribarum et Phariseorum, vos nequaquam ingressuros in regnum cælorum.* Quibus verbis illud extra omnem dubitationis aleam ponitur, Servatori propositum fuisse, legem moralem non tantum a pessimis Scribarum ac Phariseorum commentis vindicare, sed et ita vindicatam discipulis suis sub periculo animæ observandam imponere.

4. Ex his jam præmissis exurgit tandem contra Antinomos ac Solifidianos argumentum (meo quidem judicio) invictissimum^g;

^g Hoc argumentum contra adversarium defendit doctissimus auctor in Examine Censuræ, Respons. ad Animadv. XII. GRAEVE.

Quisquis a Deo per Christum justificatur, per legem Christi absolvitur;

At sola fide sine operibus nemo per legem Christi absolvitur: Ergo, &c.

Minor sola hujus syllogismi probatione indiget; ea vero ita facile confirmatur;

Quicumque per legem Christi absolvitur, eam legem impleat necesse est;

At fide sola sine operibus nemo legem Christi implet: Ergo fide sola sine operibus nemo per legem Christi absolvitur.

Major propositio hic etiam ex se satis manifesta est. Ad minorem quod attinet, quisquis eam negaverit, in hanc manifestam absurditatem impingat necesse est, ut dicat, fidem solam esse totam illam justitiam quam lex Christi postulat, sive nihil per legem Christi nobis sub periculo animæ mandari præter fidem. Hoc autem qui (post ea quæ tum in hoc, tum in prioribus argumentis diximus) serio affirmaverit, plane indignus est qui argumento refutetur; eat Anticyras, helleboro purgandus.

AD CAP. III.

AD SECT. 3.

Ne errorem erremus, quem Lutherus et post eum nostratum theologorum plerique invexerunt: Christum dedisse mundo legem nullam; id tantum egisse, ut legem prius latam exponeret, &c.] Leges novas Jesum Christum tulisse, diversas a legibus Mosaicis, non solum instituta ab eo Novi Fœderis sacramenta, sed et morale interdictum

polygamiæ ac divortii extra casum adulterii, manifestissime evincunt; nec non loca Pauli Hebr. vii. 12. ubi *translato V. T. sacerdotio legis quoque translationem factum* expressis verbis docet; et 1 Corinth. ix. 21. ubi se respectu legis Mosaicæ ἄνομον, attamen Χριστῷ ἔννομον esse profitetur. Quod vero legibus Christi pœnæ sint annexæ, non modo allegata hac sect. verba Servatoris Matt. v. 20. ut et 22. 26. 29. 30. demonstrant; sed et Joan. iii. 5. *Amen, amen dico tibi, Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum DEI.* et Joan. vi. 53. *Amen, amen dico vobis, Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Bene autem factum, quod doctissimus auctor *plerosque*, non omnes, protestantium doctores hujus erroris accusarit: quippe aliqui rectius hac in parte senserunt, quorum nomina partim, partim verba adduxit is, quem semper tanquam egregium in hac aliisque pluribus controversiis moderatorem, et vere apostolicum Edinburgensis ecclesiæ præsulem summopere veneratus sum, Guilielmum Forbesium dico, in considerationibus pacificis ac modestis, lib. IV. de justificatione cap. 2.

AD SECT. 4.

Argumentum reverendi auctoris, quo concludit, “nem sola fide sine operibus a Deo justificari,” pro medio termino habet, “absolvi per legem Christi.” Atqui si de absolute a pœna intelligatur, haud gravatim majorem propositionem concesserint adversarii; præsertim voce *legis Christi* juxta proprium eorum sensum accepta. Ast *absolutionem* sive immunitatem a culpa, quæ præsupponit moralis Christi legis impletionem, omnino inficias eunt, hanc impossibilem esse contendentes. Contendant vero necesse est cum apostolo Galat. vi. 2. scribente, ἀναπληρώσατε τὸν νόμον τοῦ Χριστοῦ· quin cum ipso Christo Matt. v. 19. dicente, *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno celorum; qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno celorum:* et Joan. xv. 14. *Vos amici mei estis, si*

feceritis quæ ego præcipio vobis: denique Luc. xvii. 10. Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus, quia quod debuimus facere fecimus. Quibus verbis Servator apertissime docet, nos facere posse quæ præcepta sunt, quæque facere tenemur: alioquin impossibilem supponeret conditionem, et juberet nos mentiri dicendo, *Fecimus quod facere debuimus.* Absit vero ut talis blasphemia cuiquam in mentem veniat. Imo tantum abest, ut lex Christi sit observatu impossibilis, ut *jugum ejus suave, et onus ejus leve* ab ipso appelletur Matt. xi. 30. ac *mandata ejus non gravia* esse dicantur a S. Joanne 1 Epist. v. 3. Dices, Nonne etiam justii peccant, ac proinde pro remissione peccatorum orare docentur a Davide Psalm. xxxii. 6. et ab ipso Christo Luc. xi. 4. quid autem peccatum est aliud quam ἀνομία, transgressio legis? juxta 1 Joan. iii. 4. Resp. Si peccatum accipiatur pro transgressione legum moralium Veteris aut Novi Fœderis, (quarum illæ fuere laxiores, hæ autem strictiores sunt,) justii non peccant; aut si peccent, tales esse desinunt, et per seriam pœnitentiam renovari opus habent. Nam *omnis qui natus est ex DEO peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare quoniam ex DEO natus est.* 1 Joan. iii. 9; et sequenti cap. v. 18. *Scimus, quoniam omnis qui natus est ex DEO non peccat.* Similiter Petrus 2 Epist. i. 10. *Hæc enim facientes non peccabitis aliquando,* juxta Vulgatam, ex Græco οὐ μὴ πταίσῃτέ ποτε, *non labemini unquam.* Hinc David de semetipso ait Psalm. cxix. 11. *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi:* et generatim de justo Psalm. xxxvii. 31. *Lex DEI ejus in corde ipsius, et non nutabunt gressus ejus.* Hinc Manasses in oratione, *Tu, Domine Deus justorum, non posuisti pœnitentiam justis, Abraham, Isaac, et Jacob, iis qui tibi non peccaverunt;* quomodo et Servator Luc. xv. 7. de justis ait, quod *non indigeant pœnitentia.* Verum quatenus peccatum latius sumptum denotat aberrationem seu deviationem, ut ita dicam, a primæva perfectione homini concreata, eatenus utique *non est homo, qui non peccet,* 1 Reg. viii. 46: *Non*

est homo justus in terra, qui faciat bonum (perfecte) *et non peccet*, Ecclesiastæ vii. 20. Delinquent igitur justī, etiam pro tempore, quo tales sunt, haud violatis tamen legibus evangelicis, quibus æternæ damnationis pœna annexa est, et ex quibus DEUS nos olim judicabit; sicut ipsius S. Jacobi testimonio dilucide probatum est sect. 2. hujus capituli. Firma igitur stat major propositio doctissimi auctoris nostri: “Quicumque a DEO per Christum “justificatur, is per legem Christi absolvitur;” scilicet non a pœna solum præteritorum criminum, atque venialium delictorum cum vera justitia consistentium, (quam in antecedentibus posteriorem justificationis partem dixi,) sed et a lethali culpa, adeo ut integer atque justus propter observatas novas leges, sub pœna sempiterni exitii latas, a DEO pronuntietur.

2. Atque respectu hujus a culpa absolutionis (quæ priorem justificationis partem constituit) tale quoque formari posset argumentum, quo probetur, fideles ex operibus seu justitia activa justos coram DEO declarari:

Quicumque legem, secundum quam a DEO judicatur, juste agendo implet, is ex activa justitia justus coram DEO pronuntiatur;

Atqui fideles legem Christi, secundum quam a DEO judicantur, juste agendo implent:

Ergo fideles ex activa justitia justī coram DEO pronuntiantur.

Majorem propositionem adversarii utraque largiuntur manu. Minorem inficiantur, rati nullas leges morales a Christo latas esse; aut si sint, eas a nobis impleri hand posse; aut denique si impleantur, nos tamen non ex iis a DEO in justificationis actu judicari, sed secundum legem perfectissimæ justitiæ primo homini concreatæ. Atqui cum ad refutationem priorum duarum hypotheseon satis dictum sit, liceat ad absurditatem postremæ thescos ostendendam hoc denique subnectere argumentum:

Quicumque secundum legem perfectissimæ justitiæ, qualis Adamo concreata erat, judicatur, is in hac vita non justificatur a DEO;

Atqui fideles in hac vita justificantur a DEO :

Ergo fideles secundum legem perfectissimæ justitiæ, qualis Adamo concreata erat, non judicantur.

Minoris propositionis veritas ab utraque parte in hac controversia supponitur. Et sane de non-ente disputaretur, nisi fideles reapse a DEO in hac vita justificarentur. Major propositio itidem sole clarior est, et expressis terminis, ut scholastici vocant, in S. Scriptura asseritur Psalm. cxliii. 2. *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* (*Vivens, inquit; Qui enim mortuus est, justificatus est a peccato, Rom. vi. 7.*) Similiter Job. xxv. 4, 5, 6. *Numquid justificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus qui natus est de muliere? Ecce luna etiam non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus; quanto magis homo putredo, et filius hominis vermis?* et præced. cap. ix. ver. 2, 3. *Vere scio, quod ita sit, et quod non justificetur homo comparatus DEO. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille.* Ubi istis verbis, *Si voluerit contendere cum eo,* haud obscure innuitur, quod DEUS id non faciat, nec intret in judicium cum servis suis ex stricta lege perfectæ sanctitatis, qua Adamus ante lapsum præditus erat; sed ex tenore præceptorum postea datorum, quorum observatores pronuntiat justos ac æternæ vitæ charismate dignos; transgressores autem eorum, tanquam enormium peccatorum reos, ad ignem perpetuum condemnat.

3. Excipient contradicentes, in majori propositione haud recte prædicari simpliciter, “is in hac vita non justificatur a DEO;” sed addendum esse, “ex operibus:” licet autem homo, dum secundum legem perfectæ justitiæ judicatur, non justificetur ex propriis operibus, justum tamen a DEO declarari ex aliena justitia, scilicet Christi, quam DEUS ei propter fidem imputat. Resp. Si id velint DEUM justitiam Christi imputare fidelibus in remissionem peccatorum, ita ut præterita crimina et præsentia delicta quasi pro non factis habeantur, dicunt, quod S. Scripturæ congruum, et a ratione non est alienum, sed nec nostræ argumentationi adversum. Ast si justitiam Christi a fidelibus

ita apprehendi, ac a DEO ipsis ita imputari contendant, ut propria eorum justitia formaliter fiat, ac ex ea justitia a DEO pronuntientur ; tum istud asserunt, quod sanæ rationi non minus ac nostræ ratiocinationi repugnat, et in S. Scriptura nusquam docetur, prout in Examine Censuræ, Resp. ad Animadversionem XI. ac iis, quæ ibidem annotavi, clarissime probatum est. Quocirca ut benevolus lector istum locum adeat, rogamus. Hic interim firma rataque maneat S. Jacobi assertio, Hominem non ex sola fide, sed et reliquis virtutibus bonisque operibus, quibus legem Christi implet, justum a DEO censerem.

CAP. IV.

Argumentum tertium a natura ipsius fidei. Tres fidei actus a theologis vulgo assignati (notitia, assensus, fiducia) expenduntur. Ostenditur nullum ex iis esse, cui justificatio necessario nexu conjuncta sit.

1. ARGUMENTUM tertium mutuabimur a natura ipsius fidei, hoc modo : Si fides per se atque a cæteris virtutibus distincta concipiatur, nullus est ejus actus qui salvificus sit, vel qui in improbum ac prorsus injustificatum non possit cadere : ergo fide sola sine cæteris virtutibus plane impossibile est ut quis justificetur. Consequentia sole clarior est. Ad antecedens quod attinet, sane qui fide sola nos justificari tam acriter contendunt, semper mihi visi sunt (absit dicto invidia) vel nescivisse, vel saltem non meminisse, quid sit fides. Fidem supra omnem fidem extollunt, qui ei soli tantum tribuunt. Quod ne quis a nobis temere dictum putet, observandum est, tres omnino fidei actus a theologis vulgo statui, *notitiam, assensum, ac fiduciam*. Singulos horum percurramus.

2. Ad *notitiam* quod attinet, apud omnes fere in

confesso est, eam etiam in pessimis reperiri posse; ut mira, nova, ac plane singularis sit doctissimi Cameronis nostri sententia de cognitione quadam electis peculiari, quæ ex sua natura semper sit efficax et salvifica, et quam alicubi appellat *lucem dirigentem*, ac denique ex qua totam hominis ad Deum conversionem necessario pendere affirmat. Hoc certe nomine ab Episcopoⁱ meritissimo jure vapulat; neque ab Episcopo tantum, sed et a synodis Dordracena, Aleziana, et Charentonensi ea sententia in terminis damnata est, ut luculenter ostendit idem Episcopus^k ibidem. Actum igitur hic non agemus.

3. De *assensu* mentis res non minus clara est: quippe certum est, nudum mentis assensum non tantum in reprobis hominibus, sed etiam in diabolis reperiri. Fateor esse non paucos, eosque doctos, qui statuunt hunc assensum, si modo firmus sit, atque in hominis mente altas egerit radices, pietatis praxin et mandatorum Christi obedientiam post se plane necessario trahere. Neque exigui sunt ponderis argumenta, quibus id probatum eunt. Atqui argumenta in contrariam partem præponderare mihi videntur; imprimis illud ex 1 Cor. xiii. 2. desumptum, ubi supponit Paulus fieri posse, ut quis habeat omnem fidem, (quæ procul dubio summum hunc fidei gradum continet,) et tamen charitatem non habeat. Neque enim audiendi mihi videntur, qui apostolum ibi loci impossibile aliquid supponere statuunt. Sed de hac re non necesse est ut multum litigemus. Dato enim viris doctis, quod contendunt, nostræ sententiæ illud nihil officit; modo hoc etiam agno-

ⁱ Exam. Sentent. Cameron. c. 2.

^k Cap. 3.

scatur, (quod illi ultro fatentur,) hunc assensum nude consideratum, et sine ista quam post se trahere dicitur pietatis praxi, apud Deum nihil quicquam valere. Atque eadem de Cameronis sententia dici potuissent.

4. Restat itaque tertius atque ultimus fidei actus, 22 quam *fiduciam* vocant; et in hoc maximam ponunt fiduciam Solifidiani. In iis igitur, quæ hic dicunt, expendendis diutius immorabimur¹. Ac primo quidem operæ pretium esset inquirere, quid per fiduciam istam velint. Res enim hæc miris verborum involucris ab iis tegitur, ut pene Œdipo opus sit interprete. Ingens acumen et plane *ὑπερβύλλον μέγεθος τῆς ἀρχινοίας* ei lubens detulerim, qui eorum hac de re locutiones intelligibiliter explicare atque inter se conciliare valeat. Experiatur qui dubitat, ac verum esse quod dicimus vel invitus fatebitur. Dabimus tamen operam, ut veritas ex istis nubibus in apertam lucem proferatur.

5. Sciendum est igitur, quod cum fides in Novo Testamento (ubi spectatur a cæteris virtutibus distincta) in assensu mentis unice statuatur, ut sit nihil aliud quam assensus talis quo Christum credimus passum, mortuum, atque excitatum a mortuis, ac propterea vera esse, quæ Dei nomine sive præcipiendo sive promittendo nobis attulit, (consule Rom. iv. 20, 21, 24. Heb. xi. 1. 1 Joh. v. 4, 5. Joh. viii. 24.) assensus tamen iste post se fiduciam aliquam trahere aptus natus sit. “Fieri enim non potest,” ut Grotii verbis utar^m, “quin qui credit a Deo profecta quæ Christus dixit, inter quæ et

¹ Confer de his Examen Censuræ in Respons. ad Animadvers. XIII. GRABE.

^m Discuss. p. 41 et 42. [vol. III. p. 689. ed. 1679.]

“ hoc est, *omnes secundum evangelium viventes*
 “ *vitam æternam consecuturos*, is non simul con-
 “ fidat sibi id bonum eventurum, si eam viam in-
 “ sistat. Sed hæc fiducia est conditionata adhuc, &c.
 “ Posteaquam vero aliquis jam vivit Christiane, pur-
 “ gatus a vitiis, incipit illa fiducia fieri absoluta pro
 “ eo tempore: quæ *spes* solet dici in S. Literis.
 “ Hæc spes justificatum sequitur, ac propterea non
 “ est pars ejus fidei per quam justificamur.” Ex
 his Grotii verbis (quibus certe totam hanc rem di-
 lucide et succincte definivit) ita argumentari licet:
 fiducia ista, quam statuunt fidei justificantis prima-
 rium actum, est vel conditionata, vel absoluta: si
 priorem intelligunt, nihil manifestius est quam eam
 in quovis homine, qui veram esse Christi doctrinam
 credit, reperiri; ab assensu enim illo necessario fluit.
 Dices: At fiducia, quæ est fidei justificantis propria,
 talis est, quæ in hominis intellectu solo non hæreat,
 sed in cor ipsius ac voluntatem potenter influat;
 unde fit ut ad Christum veniat, et in ipsum pro sa-
 lute obtinenda toto corde recumbat: vel (ut verbis
 utar viri doctissimiⁿ) “ Est talis fiducia, quæ, (cæ-
 “ teris omnibus abdicatis,) in Mediatorem recum-
 “ bens, totum cor sive totam animam ad Christum
 “ trahit, Christoque agglutinat.” At (pace reverendi
 patris) liceat interrogare, quid sibi velint phrases
 istæ, “ ad Christum venire, ad Christum toto corde
 “ atque animo trahi, Christoque agglutinari?” hæ
 enim locutiones (ni fallor) non tam fidei aut fiduciæ
 quam charitatis actus sonant. Is ad Christum venit,
 qui fide prius Christi doctrinæ habita, et pœnitentia
 de peccatis peracta, ei se totum dedit, atque in

ⁿ Determ. Qu. 37. p. 167.

discipulum tradit, ut sic per ipsum peccatorum veniam vitamque æternam consequatur. Ad Christum ille toto corde atque anima trahitur, Christoque agglutinatur, qui sincero affectu Christum amat; quique immensa illa bona, per Christum oblata, non levi aut evanido sed ardenti et constanti desiderio anhelat, ac (modo Christum lucrifaciat) cætera omnia, quæ miratur ac plane deperit occæcatus mundus, flocci facit; qui denique doctrinæ ac præceptis Christi constanter adhærescere decrevit: hæc qui fecerit, is procul dubio Deo per Christum gratus est ad salutem, h. e. justificatur. Si aliter exponantur phrasæ istæ, fateor me eas non capere. Ut sit, certum est, conditionatam hanc fiduciam ad justificationem ac salutem hominis nihil quicquam valere posse, nisi statuas, eam in voluntatem atque affectus agere actum aliquem charitatis ex animo eliciendo, atque adeo totum hominem fortiter extimulando ad quærenda bona illa evangelii, quæ et esse credit, et se consecuturum confidit. Scilicet nec fides, nec fiducia quicquam valet, quæ non sit *δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη*, per charitatem efficacæ, seu potius ad effectum producta et consummata, Gal. v. 6.º (participium enim *ἐνεργουμένη* ibi loci passive sumendum, sicut et alias fere semper in Novo Testamento, facile crediderim.) Atque hac de causa nullus dubito, quin charitas recte dici possit fidei justificantis forma; fidei, inquam, justificantis; quia fidem per se propriam suam habere formam in confesso est: at fides quæ et quatenus justificat, vera charitate informetur omnino est necesse.

º Hunc apostoli locum, ac consequentiam inde deductam, ampliori luce donavit auctor in Examine Censuræ, Resp. ad Animadv. II. GRABE.

23 6. Pergamus jam ad membrum dilemmatis nostri alterum, quod est de fiducia absoluta. Ea vero est talis animi certitudo, qua quis, nulla omnino conditione suspensus, credit peccata sibi actu remissa esse, seque Deo ad salutem acceptum haberi. Atque de hac absoluta certitudine plerosque omnes reformatarum ecclesiarum theologos, (præsertim externos,) qui de fiducia tanquam formali actu fidei justificantis loquuntur, intelligendos esse, nimis (proh dolor!) manifestum est. Fuit hæc doctrina jam a multis annis ipsissimum reformatæ ecclesiæ opprobrium ac dedecus; neque est alia ulla, quam vel magis rideant ac ludibrio habeant vel severiori stylo exagitent pontificii. Neque id immerito; est enim error non levis, error putidissimus, error (pene dixerim) in *fide*. Det tandem misericors Deus, ut hujusmodi dogmata e nostrorum scriptis, vel saltem catechesibus, in æternum deleantur. Sed argumentis hic, non precibus aut lachrymis, agendum.

7. Dico igitur, absolutam hanc fiduciam nullo modo esse posse fidei justificantis actum, nedum actum principalem. Quod hoc unico argumento facile probari potest. Nemo de justificatione sua absolute certus esse potest qui non omnia, quæ ad justificationem requiruntur, prius præstiterit, atque adeo jam revera justificatus fuerit: ergo fiducia absoluta non est actus fidei justificantis, sed justificationem sequitur. Consequentia est per se clara. Ad antecedens quod attinet, quæro, quo fundamento nixa sit absoluta illa, de qua loquuntur, fiducia? num Christi evangelio? At quomodo quis ex evangelio certus esse possit de justificatione sua, qui non omnia prius quæ in evangelio ad justificationem requiruntur præstiterit, plane ἀκατάληπτον est.

An igitur particulari aliqua extra evangelium revelatione ea certitudo nititur? At quid est, si non hoc sit, firmam ac solidam sanctorum fidem in merum enthusiasmum, h. e. inanem phantasiam, transformare? Porro particularis hæc revelatio vel verbo Christi consentanea est, vel non. Si non, plane rejicienda est; si consentaneam dicunt, in priorem absurditatem relabuntur. Nemo enim per verbum Christi de remissione suorum peccatorum certus esse possit, nisi qui conditionem in verbo isto ad remissionem requisitam impleverit. Plura hujusmodi argumenta facile esset coacervare; (idque a multis jam factum est;) sed qui unica hac ratione contentus non fuerit, eum nullis argumentis cessurum mihi persuasissimum est.

8. Rem totam paucis conficiam. Fiducia in Christo (conditionatam an absolutam intelligas parum refert) piis cum impiis communis est; ut si hæc sit fidei justificantis ἀκμή, certe pessimus quisque de salute sua sibi jactabundus gratuletur. Nihil enim (proh dolor!) exploratum est, eorum qui Christo nomina dederunt, maximam partem de Dei misericordia, de Christi meritis, de salute sua securos in utramque aurem dormire; cum interim a vita vere Christiana longissime absint. Operibus suis bonis (quæ nunquam fecerunt) nuntium remittere, se peccatorum omnium miserimos agnoscere, in Christum pro salute obtinenda Mediatorem placide recumbere; hæc ut faciant nullo iis negotio persuaseris, in hanc fiduciam ruunt præcipites. Imo vix alius major iis, qui curam gerunt animarum, incumbit labor, quam ut ab hac arce (qua muniti nullum non animarum periculum securi contemnunt) miseros homines dimoveant. Atqui, inquires, id isti non

sincere faciunt; fiducia hæc ab ea, quæ justificatorum propria est, immane quantum distat! Cur vero? inquam ego: an quia fiduciam, quam non habent, mentiuntur? illud iis nunquam persuaseris. Se Christi meritis vere non simulate confidere, et norunt, et sibi gratulantur. Imo res ipsa loquitur, in hac fiducia vivunt, in hac vel mori parati sunt, atque adeo nimis sæpe moriuntur. Vere igitur Christo confidunt; sed non recte id faciunt, quia nullo jure faciunt. Christi meritis nituntur, mandata spernunt; promissa evangelii avidè amplexantur, de præceptis nihil solliciti. Unicum hoc est inter piorum atque impiorum fiduciam discrimen, aliud frustra quæsi-veris. Denique quæ sit vera et Christiana fiducia, optime nos docet S. Johannes 1 Epist. iii. 19, 20, 21. *Et per hoc cognoscimus (per charitatem sc.) nos ex veritate esse, et coram ipso segura reddemus corda nostra. Nam si nos condemnet cor nostrum, nempe potentior est Deus corde nostro, et novit omnia. Dilecti, si cor nostrum nos non condemnet, fiduciam appellandi Deum habemus.* Nimirum segura animi fiducia est bonæ conscientiæ filia; ex operibus bonis exurgit; tantum abest, ut sine bonis operibus quicquam valeat.

- 24 9. Ut igitur argumentum hoc tandem absolvam, cum nullus sit fidei actus, per se ac nude consideratus, cui justificatio necessario nexu conjuncta sit; cum notitia sine praxi, assensus mentis sine amore cordis, fiducia in evangelicas promissiones sine sincero conatu conditionem earundem implendi, nihil apud Deum valeant; omni fide credendum est, fide sola sine cæteris virtutibus neminem prorsus in Dei conspectu justificari.

CAP. V.

Argumentum quartum a processu Dei in ultimo iudicio. Iudicium Dei in futuro sæculo per omnia respondet justificationi divinæ in hac vita. Opera nostra in iudicio Dei spectantur non ut mera fidei signa, sed ut pars, eaque maxima, conditionis in fœdere evangelico præscriptæ.

1. ARGUMENTUM quartum esto sumptum ab illo Dei processu, quo in hominibus iudicandis usus est in die ultimi iudicii.

Quomodo quisque in futuro sæculo a Deo iudicabitur, eodem plane modo in hac vita a Deo justificatur:

Atqui ex operibus (non fide sola) quisque in futuro sæculo a Deo iudicabitur :

Ergo ex operibus (non fide sola) quisque in hac vita a Deo justificatur.

Aut ego egregie fallor, aut argumentum hoc insolubile est^P.

2. Ad majorem propositionem quod attinet, ea hisce evidentissimis rationibus, ab ipsa natura futuri iudicii desumptis, suffulta est.

1°. Futurum illud iudicium (quod ad nos saltem spectat, qui sub evangelio vivimus) nihil aliud revera erit, quam publica, aperta, ac sollemnis in conspectu totius mundi Christi Judicis per sententiam declaratio, qua quinam secundum tenorem pacti evangelici in hac vita justi fuerint, quique injusti, liquido ostendetur. Quod ad nos, inquam, spectat; quia eorum, qui evangelium prorsus ignorarunt, alia erit ratio. Neque enim justitiæ divinæ congruum

^P Quæ adversus istud objecit adversarius, ea prolixè refutavit cl. auctor in Examine Censuræ, Respons. ad Animadvers. XIV.

videtur, ut quis ob evangelici pacti violationem condemnatur, qui de pacto isto ne fando quidem inaudiverit. Atque huc pertinet, quod Paulus dicit de iis gentibus, qui legem Dei scriptam ignorarunt, Rom. ii. 12.

Sed utut de ejusmodi hominibus statuerit Deus in tremendo illo die, certo certius est, nos Christianos non nisi ad tenorem pacti evangelici judicatum iri; adeo ut, quod ad nos spectat, ultimum judicium nihil aliud futurum sit, quam decisiva Christi Judicis declaratio de justitia vel injustitia nostra, secundum evangelii sui legem prius stabilitam, nobisque sufficienter revelatam. Unde satis apte a nonnullis hic Christi actus (fideles respiciens) appellatur *justificatio declarativa*; opposite nimirum ad justificationem, quam per legem Christi in hac vita habemus, quæ non male ab iisdem vocatur *justificatio constitutiva*. Iisdem convenit utraque justificatio, idque sub iisdem legibus; h. e. quicquid requiritur, ut quis in futuro judicio per Christum justus *declaretur*, idem plane requiritur, ut in hac vita per legem Christi justus revera *constituatur*. Declaratio enim Judicis per omnia respondere debet constitutioni legis. Manifestissima ergo est hæc consequentia: Si non nisi ex operibus per Christum in futuro judicio justus declaramur, ergo non nisi ex operibus in hac vita per legem Christi justus constituimur.

3. 2^o. Est etiam alter futuri judicii actus, qui ad fideles spectat, priori necessario nexu conjunctus; quo sc. iis præmium æternæ vitæ palam adjudicatur. Neque in hoc minus quadrat actus Dei in ultimo die judicantis ad actum Dei in hac vita justificantis.

25 Quis enim ausit negare, collationem juris ad præmium cœleste esse præcipuum justificationis actum?

Certe id clare evincunt apostoli verba de justificatione disputantis Rom. iv. 3. coll. cum ver. 4. ubi quod prius dixerat, ἐλογίσθη εἰς δικαιοσύνην, postea hac phrasi exprimitur, μισθὸς λογιζέται. Nimirum “imputare aliquid alicui in justitiam,” et “imputare alicui ob aliquid præmium,” eadem plane sunt, vel saltem in eadem justificationis notione continentur. Est itaque hujus actus ultimi judicii eadem ratio cum priori. Etenim cum in hac vita justificamur, nobis ex lege Christi jus ad vitam æternam revera confertur; cum in futuro sæculo judicamur, idem jus per solennem Judicis sententiam definitur ac deciditur.

4. Hanc esse judicii divini in futuro sæculo ipsisimam notionem (nempe ut sit tum justitiæ nostræ, tum juris ad vitam æternam inde consecuti, quod ex lege Christi hic consequimur non nisi per sententiam Judicis, decisio ac declaratio) ex multis iisque clarissimis N. T. locis manifestum fit. Consule Rom. ii. 5, 6, 12, 13, 16. 1 Cor. iv. 5. et iii. 13. Matt. xii. 36, 37. sed notatu dignissimus est locus ille quem (alia de causa) superius⁹ laudavimus, 1 Cor. iv. 4. Οὐδὲν γὰρ ἐμαυτῷ σύννοια, ἀλλ' οὐκ ἐν τούτῳ δεδικαίωμαι· ὁ δὲ ἀνακρίνων με, Κύριός ἐστι· i. e. *Nullius enim rei mihi conscius sum, sed non per hoc justificatus sum; Dominus autem is est, qui me dijudicat*: quale autem Dei judicium intelligat, liquet ex sequentibus; ver. 5. sc. de futuro judicio loquitur, clare innuens, Dei tunc judicantis opus hoc futurum, ut de justitia vel injustitia nostra in hac vita certo atque infallibiliter pronuntiet. Et de majore hactenus.

5. Ad minorem descendamus; hanc autem quisquis

⁹ [I. 3.]

negaverit, ei cæcutiunt oculi in clarissima Scripturarum luce. Quoties enim id in terminis asseritur, Deum unumquemque judicaturum secundum opera ipsius? imo ipsa ratio et causa sententiæ istius, qua justis vita æterna adjudicatur, ab operibus eorum manifeste desumitur Matt. xxv. 21, 23, 34, 35. quæ loca ideo accuratius notanda, ut futili quorundam exceptioni occurratur, qui dicunt vitam æternam adjudicari operibus nostris solummodo ut fidei signis atque effectis. Nam ex locis citatis planum fit, opera nostra in hoc negotio considerari ut ipsum illud, propter quod (ex gratioso nempe Dei in Christo fœdere) vita æterna nobis donetur. Nemo melius hanc rem expressit, quam vir clariss. Jo. Gerard. Vossius^r his verbis: “ Quæritur, An operibus promittatur merces ut fidei signis? nos et
 “ nimium dicere putamus, qui eam operibus promitti
 “ censent ut causæ meritoria; nec satis dicere judi-
 “ camus, qui tantummodo ut signis fidei promissio-
 “ nem factam arbitrantur. Siquidem multa sunt
 “ Scripturæ loca, quibus planum fiat, opera nostra in
 “ salutis negotio spectari ut causam sine qua non,
 “ sive ut conditionem præcedaneam, quæ præmium
 “ vitæ æternæ individuo secum nexu trahat.” Ac thesin suam probat vir doctissimus ex locis modo allegatis, aliis nonnullis etiam additis; sc. Apoc. vii. 14, 15. 2 Cor. iv. 17. Gal. vi. 8. Phil. ii. 12. Hæc omnia optime: nimirum extremum utrumque omni cura vitandum; tum eorum, qui opera nostra per se vitæ æternæ meritoria statuunt, (error iste pontificiorum quorundam toto animo detestandus est,) tum

^r De bon. operum meritis, Thes. 10. [vol. VI. p. 370. Op. ed. 1701.]

eorum etiam, qui eadem opera ullam aliam cum cœlesti præmio connexionem habere præter hanc, quod sint fidei ejus, cui salus promittitur, signa, omnino negant. Hæc enim sententia non paucis iisque clarissimis Scripturæ testimoniis (ut vidimus) apertum bellum indicit. Media itaque via hic tenenda est, ut dicamus, relationis istius, quam ad vitam æternam habent opera nostra, unicum illud esse fundamentum, quod sint conditio in fœdere evangelico requisita, cui præstitæ ex eodem gratioso fœdere præmium cœleste indulgeatur.

6. Porro bona opera non ut mera fidei signa in salutis negotio spectari, optime probat Grotius^s hac ratione: “ Quæ ut signa spectantur, ea in se minus sunt quam res significatæ. At dilectio, quæ ista præstat opera, ac per figuram quandam in ipsis operibus intelligitur, plus est fide, 1 Cor. xiii. 13.” Denique idem evincitur ex eo, quod a Jacobo dicitur cap. ii. 22. *Ex operibus fidem perfici, atque opera fidei cooperari.* Quid enim? An perfectio rei signatæ a signo pendet? an cooperatur signum cum re signata? Piget certe tam manifestis ineptiis immorari: pergamus igitur.

ANNOTATA J. E. GRABE

26

AD CAP. V.

AD SECT. 5.

Ad minorem descendamus.] Minor propositio prolatis argumenti clarissime asseritur ab ipso Servatore, Matt. xii. 36, 37. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die*

^s Discuss. p. 45. [vol. III. p. 690. Op.]

judicii. Ex verbis enim tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis. Accedit S. Pauli disertissimum testimonium, Rom. ii. 12, 13. Quicumque sine lege (Mosis) peccaverunt, sine lege peribunt. Et quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur: Non enim auditores legis justi sunt apud DEUM; sed factores legis justificabuntur. De quo dicto confer Dissert. II. cap. 4. §. 8.

CAP. VI.

Argumentum quintum atque ultimum ab implicita adversariorum confessione. Duæ hypotheses a reformatis theologi unanimi consensu comprobatae: 1. Fidem eam, quæ justificat, vivam, h. e. bonorum operum fecundam esse debere. 2. Opera bona esse ad salutem omnino necessaria. Ex utraque hypothesis necessitas bonorum operum ad justificationem evincitur.

1. AD quintum nostrum argumentum atque ultimum jam devenit. Illud autem ab implicito omnium consensu, atque adeo ab ipsa adversariorum confessione, extorquebimus. Ea quippe est veritatis vis, ut non raro a se dissentientes in suas partes trahat, et invitos, et inscios: solet error non magis veritati quam sibi ipsi repugnare. Idem hic usu venit. Sunt enim nonnullæ hypotheses, quas suo calculo réformati theologi fere omnes comprobarunt, quibusque concessis, hæc de necessitate bonorum operum ad justificationem hominis doctrina negari nec possit nec debeat. Prius autem quam hujus argumenti tractationem aggrediamur, par est ut lectorem moneamus, nos hic de publicis ecclesiarum reformatarum confessionibus non agere, sed de privatis doctorum quorundam opinionibus, qui se confessio-

nes istas sequi profitentur. Nam quod authenticas ecclesiarum reformati nominis confessiones attinet, certum est, eas omnes, vel saltem earum primas ac nobilissimas, a nostris partibus veluti ex professo stare. Quippe etiamsi illæ quoque doceant, *ex fide sola sine operibus hominem justificari*, effatum tamen illud eo sensu explicant, quem nos pronis ulnis amplexamur: scil. disertis verbis monent confessionum authores, sententiam istam figurate accipiendam esse, ita ut in *fidei* nomine *gratia*, quæ ei ex adverso respondet, intelligatur, atque idem sit *sola fide justificari*, quod *sola gratia, non ex operum merito, justificari*: ac, proprie loquendo, fidem cæterasque virtutes bonaque opera ad justificationem æque valere atque esse necessaria; nec quicquam majus fidei in isto negotio tribuendum, quam cæteris virtutibus; adeoque se, quatenus a justificatione bona opera excludunt, eatenus et fidem ipsam rejicere. Qui dubitat, illud ipsum ad calcem posterioris Dissertationis (cap. xviii. §. 6.) prolixè demonstratum reperiet. Quicquid igitur seu caliginis sive erroris accreverit huic luculentissimæ de justificatione hominis doctrinæ, quatenus ea a protestantibus hodie docetur; illud fere totum privatorum quorundam theologorum hallucinationibus, qui purioris ac primitivæ (si ita loqui fas sit) reformationis sententiam perperam acceperunt, imputandum est. Neque tamen vel isti theologo (utcunque alias claram hanc et perspicuam doctrinam scholasticis suis ineptiis obscurarunt) ita a veritate abierunt, quin (Deo laus sit) calculo comprobarint suo hypotheses nonnullas, ex quibus efficiatur, sententiam nostram tam veram esse, quam quod verissimum: hujusmodi duas tantum hic notabimus.

2. 1^o. Quotquot sunt ecclesiarum reformatarum theologi, (pauculis fortean e rigidioribus Lutheranis exceptis, vel eo saltem nomine indignis, qui in reformatorum albo recenseantur,) ii omnes consentientibus suffragiis agnoscunt, fidem vivam non mortuam, fidem quæ conjuncta sibi habet bona opera, imo quæ sine bonis operibus nec est, nec esse potest, fidem illam esse veram ac justificantem, (ut vocant,) quæ ista proprietate ab historica, et temporanea, ac miraculorum fide distinguitur. Quodnam est igitur hic discrimen? certe qui rem expenderit, tandem fatebitur, cardinem controversiæ in hac metaphysica subtilitate totum verti: An scil. fides *quæ* est viva, vel an fides, *qua* est viva, requiratur ad justificationem? breviter, redibit res (ut a theologis longe doctissimis observatum fuit^t) ad particulam istam *quatenus*, atque ibi pacis et concordiae naufragium fiet. A risu certe vix temperet, (nisi in re esset omnium maxima,) qui in scriptis theologorum, eorumque magni nominis, hæc legat: “Fides foeta bonis operibus justificat “ante partum:” nimirum parturiunt montes, et prodit ridiculus mus: post longas ambages, cum ad ipsum controversiæ apicem ventum est, in tenui hoc ac pene inimaginabili distinctionis bivio a doctoribus relinquimur. Liceret sane per me viris doctis istiusmodi nugis sibi placere, nisi viderem ab iis has *λεπτολογίας* serio et tantum non ut fidei articulos aliis obtrudi; (quippe orthodoxi nomen amittat pene necesse est, qui hoc *shibboleth* sonare nesciat;) ni etiam tristissima (proh dolor!) experientia comprobatum esset, inanes has distinctiunculas, hæc *σοφὰ φάρμακα*, in remedium perniciosissimorum (quos ex eorum doctrina haurit incautum vulgus) errorum frustra

^t Exam. Censur. cap. 10. p. 114.

adhiberi. Sapienter certe dixit Grotius^u: “ Locutiones incautas res sequuntur perniciosæ. Plerique “ enim ista legentes, ista audientes,” (sc. fide sola sine ullis operibus nos justificari,) “ cum in peccatis “ vivant, neque se corrigant, salutem sibi pollicentur : “ nimirum quia, ut ipsi loquuntur, Christum credunt “ in id mortuum absolute, ut ipsos servet ; et justitiam Christi, quæ perfectissima est et cœlesti digna “ præmio, sibi per fidem applicantes, merita ejus sua “ faciunt. Id si ita fieri potest, cætera jam sunt “ supervacua ; quomodo vivas, nihil interest ; sine “ conditione, pro pœna quam ipsi debent, satisfecit “ Christus : sine conditione gloriam æternam ipsis “ est meritus.” Verbo dicam, Quisquis e fæce Romuli hanc hypothesin nude traditam acceperit, sc. fidem esse unicum justificationis instrumentum, bona opera in hoc negotio nihil omnino agere ; mille licet postea excudas distinctiones, nunquam ei persuaseris, esse illi omnino vel ad justificationem vel ad salutem necessarium ut bona ulla opera faciat.

3. Quanquam igitur satis jam^x evicimus, bona opera non tantum fidem justificantem comitari, sed etiam ad justificationem, non minus quam ipsam fidem, requiri, idemque causalitatis genus tam operibus quam fidei in hoc negotiotribuendum ; (hoc est, et fidem ; et opera, conjunctim esse conditionem solummodo justificationis in fœdere evangelico præscriptam ;) imo charitati, quæ cætera opera omnia profert, plus dari in Scripturis quam ipsi fidei, fidemque nihil quicquam valere apud Deum, nisi quando, et quatenus charitatem illam elicit ; liceat tamen ex abundanti paucula hæc ex hoc ipso Jacobi cap. ii. adjicere.

^u Discuss. p. 47, 48. [vol. III. p. 691.]

^x [II. 9.]

4. 1^o. Cum a Jacobo diserte dicatur, justificari hominem ἐξ ἔργων, certe particulam ἐξ plus quam otiosam concomitantiam denotare, manifestum est: si enim fides sola ac per se totum justificationis negotium absolveret, (bonis operibus solummodo quasi adstantibus,) ex operibus hominem justificari, nullo modo dici potuisset. 2^o. Cum de fide Abrahami locutus author ver. 22. affirmet, ὅτι ἡ πίστις συνήργει τοῖς ἔργοις αὐτοῦ, καὶ ἐκ τῶν ἔργων ἡ πίστις ἔτελειώθη, annon manifestum est, fidem et opera in justificationis negotio (de eo enim verbis immediate præcedentibus ver. 21. egerat) cooperari; imo fidem ex se imperfectam esse, et ad finem justificationis non perducì, nisi bonis operibus perficiatur?

5. Quæ enim Camero^z interpretationi nostræ opponit, (pace tanti viri dixerim,) nimis diluta sunt. Ad illud συνεργεῖν mire criticum agit: “ Si mens” (inquit) “ Jacobi fuisset docere, fidem cooperari operibus ad justificationem, profecto aliis verbis usus fuisset, et dixisset potius, opera cooperari cum fide, “ quam fidem cum operibus;” quasi vero hæc eadem plane non essent. Vox certe συνεργεῖν conjunctam notat operationem: et qui dicit fidem cooperari cum operibus, is etiam dicit opera cooperari cum fide. 28 Pari ratione negare aliquis possit, verbis illis 1 Cor. iii. 9. Θεοῦ γὰρ ἐσμεν συνεργοί, *Dei enim cooperarii sumus*, significari concursum gratiæ divinæ cum apostolorum laboribus in evangelio prædicando; quia sc. tum dicendum potius fuisset, Θεὸς γὰρ ἐστὶν ἡμῶν συνεργός.

6. Ad posteriora verba, καὶ ἐκ τῶν ἔργων ἡ πίστις

γ “ Perficitur res quæque, cum effectum sibi destinatum parit. “ Eum fides consequi non potest ἀνευ συναιτίων.” Grot. in locum.

^z In locum.

ἐτελειώθη, hæc notat Camero: “ Fides hic a Jacobo
 “ dicitur perfici operibus, non quod opera fidem per-
 “ ficiant, sed quod fides, dum producit opera, osten-
 “ dit quam sit perfecta; quomodo 2 Cor. xii. 9.
 “ *Christi virtus perfici dicitur in infirmitatibus,*
 “ quia tum scil. se maxime exerit et prodit.” Sed
 facilis est responsio: quicquid enim de loco 2 Cor.
 xii. 9. statuendum sit, certum est, vocem τελειοῦν in
 hoc Jacobi loco significare, perfectionem non tantum
ostendere, sed et revera *adjicere*. Patet illud ex
 phrasi præcedente, qua fides et opera dicuntur *co-*
operari. Hinc enim manifestum fit, opera fidem
 perficere, non solum eam *ostendendo*, sed et ei *co-*
operando, h. e. vim ac virtutem aliquam addendo.

7. Haud majoris ponderis est altera Cameronis
 ratio, qua hanc vocis τελειοῦσθαι significationem hic
 loci oppugnat; “ Quomodo (inquit) potest intelligi
 “ fides perfecta ab operibus, si opera non addiderunt
 “ aliquam perfectionem fidei in negotio justificatio-
 “ nis? At certe clarum est, nullam perfectionem
 “ addi fidei ab operibus in negotio justificationis;
 “ siquidem a fide proficiscuntur tanquam a causa,
 “ atque ita bona opera proficiscuntur a fide tanquam
 “ a causa, ut non sit bonum opus, quod a fide non
 “ sit profectum: *quicquid enim fit sine fide, est*
 “ *peccatum*; et *fide purificantur corda*, unde pro-
 “ ficiscuntur et æstimantur omnia opera.” Respon-
 deo, Verum quidem esse, quod fides operibus perfici-
 ciatur, vix alio sensu intelligi posse, quam quod opera
 perfectionem fidei addant in justificationis negotio;
 atque hoc illud est, quod affirmat Jacobus, et nos
 contendimus. Argumenta, quibus contrarium it proba-
 tum Camero, duo sunt. 1. Quod a fide, tanquam
 causa, bona opera proficiscantur. 2. Quod a fide

æstimentur opera, ac bonitatem suam accipiant. Ad primam rationem quod attinet, ea mire infirma est ; 1. quia supponit nullum causatum excedere posse perfectionem causæ suæ ; quod falsissimum est : sol enim generat animalia, et tamen minimum animal in ordine entium sole est perfectius, quia sensu præditum est, quo sol caret. Pater gignit filium, qui tamen patrem sæpissime forma, robore, sapientia, virtute longe superat : ita fides charitatem elicit, quæ tamen fide nobilior est. 2. Si Cameroni credimus, fides, charitas, cæteræque omnes electorum virtutes proficiscuntur a cognitione quadam ac scientia, qua mens eorum a Spiritu sancto illuminatur, tanquam causa ex qua necessario pendeant. Quid ergo ? An dixisset vir doctus, cognitioni isti a fide, charitate, cæterisque virtutibus nullam perfectionem addi posse in justificationis ac salutis negotio ? ita suo se jugulavit gladio vir maximus.

8. Altera Cameronis ratio aperte falsa est ; singulæ enim virtutes suam formam sortiuntur, per quam virtutes sint atque existant ; neque illud, ut virtutes sint, a fide mutuantur. Si qua autem sit virtus universalis, quæ cæteras omnes bonitate quasi perfundit, iisque dignitatem ac gratiam conciliat, ea certe est charitas, verusque Dei ac proximi amor ; ex quo quicquid proficiscitur, illud demum Deo fit gratum acceptuunque etiamsi alias minoris pretii videatur. Vide Matt. x. 41, 42. et Marc. ix. 41. Loca, quæ adducit Camero, ad rem nihil faciunt : nempe in textu illo, *Quicquid sine fide fit, peccatum est*, non loquitur apostolus de fide evangelica, qualem hic intelligimus, sed de ea persuasionem, qua quis credit, licitum esse id quod facit ; ut ex contextu manifestum est. Locus alter, in quo dicitur, *fide puri-*

ficari corda, est etiam a proposito alienus: etsi enim fides sit medium illud, quo Deus utitur in purificando corde; cor tamen ipsum purificatum, ac vera Dei proximique charitate inflammatum, illud demum est quod Deo ad salutem placet. Verum est quidem, nullum esse opus vere bonum quod a fide non sit profectum, Heb. xi. 6. sed et æque verum est, fidem per se ad bonum opus non sufficere, nec Deo ad salutem placere, nisi adsit ea charitas, qua quis ad Deum veniat, (h. e. sincero eum affectu colat,) ipsumque tanquam quærentium fidelissimum remuneratorem haud oscitanter quærat, quod in eodem commate mox subjicitur: eodem plane modo, sine vera divinæ voluntatis cognitione impossibile omnino est ut quis Deo placeat, h. e. eandem voluntatem perficiat: qui tamen inde intulerit, cognitionem hanc per se Deo placere ad salutem, eique fidem, charitatem, cæterasque Christiani hominis virtutes nullam hac in re perfectionem adjicere, ac denique ex ea sola bona opera omnia æstimari apud Deum, næ is disputatorem se omnibus ridendum propinabit. Ast de insigni hoc Jacobi loco (ad eum a pravis interpretationibus vindicandum) satis superque dictum est.

9. 3^o. Denique qui fide sola hominem justificari, 29
opera in hoc negotio nihil quicquam agere contendit, perinde absurdus est atque is, qui affirmaret, corpore solo hominem vivere, animam nihil ad vitam ejus conferre; hæc enim ut paria ab apostolo statuuntur ver. 26. Clariora certe hæc sunt quam ut ullum patiantur effugium.

10. Porro notandum est, quod, cum causa, cur plerique ad inane hoc κρησφύγετον recurrant, hæc sit præcipua, quod, si aliter faciant, Paulinus Epistolis (ubi sæpius a justificationis negotio opera discrete

excluduntur) contradicerent, si quis animum advertat, mox viderit, opera, de quibus loquitur Paulus, ab eo non tantum a justificandi actu removeri, sed etiam ut nullo modo necessaria in totum rejici. Clare id liquet ex loco illo Rom. iv. 5. *Ei vero qui non operatur, sed qui credit in eum qui justificat impium, imputatur fides sua in justitiam*; quæ verba ostendunt, hominem non solum *sine operibus*, sed *qui sine operibus sit*, per fidem justificari. Nec minus dicit Paulus (nisi ipsius verbis manifestam vim faciamus) in conclusione ista, *πίστει δικαιοῦσθαι ἄνθρωπον χωρὶς ἔργων*, Rom. iii. 28. ibi enim phrasi ista, *χωρὶς ἔργων*, opera non tantum a justificatione, sed etiam ab ea fide quæ justificat, atque ab ipso homine qui justificatur, sejungi planum fit; quapropter *σοφὸν φάρμακον* eorum, qui opera cum fide justificante, licet non in ipso justificandi actu, necessario conjungi statuunt, ut per se absurdum est, ita Pauli verbis nullo modo quadrat, quorum tamen interpretandi gratia excogitatum fuit. Et de prima hypothesis hactenus.

11. Est etiam altera hypothesis a reformatis theologis haud minori consensu recepta: sc. Bona opera ad salutem obtinendam esse omnino necessaria. Liceat mihi (bona doctorum venia) hinc concludere, ergo opera bona ad justificationem etiam non minus necessaria statui debere. Ratio sequelæ hæc est; In justificatione (ut ad argumentum quartum diximus) jus ad salutem seu vitam æternam nobis confertur; et hoc omnes agnoscunt; quomodo igitur bona opera ad vitam æternam necessaria statuuntur ei, cui jam per justificationem præmium vitæ æternæ sine operibus adjudicatum fuit? Respondent hic nonnulli, Esse quidem bona opera conditionem ad

ipsam salutem ex promisso Dei consequendam necessariam; non vero ut quis jus ad salutem consequatur; illud enim in justificatione soli fidei gratis concedi. Sed 1^o. Cum agnoscunt boni viri, opera bona esse conditionem præcedaneam ad salutem necessario requisitam, et tamen jus ad salutem ex operibus obtineri negant, clare ostendunt, se vel quid sit conditio nescire, vel sibi ipsis velle contradicere; conditio enim (qualem hic volumus) est promissionis, pacti, sive testamenti conditio; promissum vero, pactum, sive testamentum, jus ad beneficium in eo contentum concedit non nisi conditione præstita; atque adeo conditio semper ad jus aliquod obtinendum refertur: qui itaque concedit, bona opera esse conditionem necessario præstandam, ut quis ex divino promisso vitam æternam consequatur, is eadem opera fatetur, jus ad vitam æternam sine operibus nequaquam obtineri. 2^o. Qui jus ad salutem ex operibus negat impetrari, claro ac disertio Spiritus sancti testimonio se opponit; audi enim ipsius Servatoris vocem, Apoc. xxii. 14. *Μακάριοι οἱ ποιοῦντες τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ, ἵνα ἔσται ἡ ἐξουσία αὐτῶν ἐπὶ τὸ ξύλον τῆς ζωῆς, Beati qui præstant ejus præcepta, ut sit eis jus in arborem vitæ.* Huic testimonio addi possunt omnia illa N. T. loca, in quibus vitam æternam a Deo operibus nostris ex justitia dari clare asseritur, 2 Thes. i. 7. Heb. vi. 10. 2 Tim iv. 8. Hinc enim sic licet argumentari, Si merces vitæ æternæ operibus nostris ex justitia detur, ergo ex operibus nostris jus ad mercedem istam consequimur; (tale scil. jus, quod in gratioso Dei per Christum fœdere fundamentum suum unice habeat;) sunt hæc τῶν πρὸς τι καὶ ἀντίστροφα: cui merces ex justitia datur, ille jus ad mercedem illam habeat necesse est, et vice versa.

12. His plura adjicere haud difficile esset ; sed quem ratio et veritatis amor non prorsus fugerunt, ex iis quæ jam diximus, is facile videbit, hypothesin nostram ex illâ adversariorum concessa per consequentiam sole clariorem deduci. Ac profecto, qui necessitatem bonorum operum ad salutem ex promisso Dei obtinendam agnoscunt, mirum est, cur ab illa, quæ nostra est, hypothesi (nempe bona opera ad justificationem etiam necessario requiri) tantopere abhorreant ; iisdem enim argumentis, quibus, ut hanc rejiciant, animum inducunt suum, alteram illam ut respuant (si modo sibi ipsis consentire velint) omnino necesse est : quorsum enim negant, bona opera ad justificationem necessario requiri ? nempe

1. quia sic Christi meritis detrahitur ;
2. quia sic Pauli verbis contradicitur ;

at quis non videt, hæc argumenta non minus aperte contra alteram illam

30 hypothesin (quam tamen agnoscunt) militare ? ad merita enim Christi quod attinet, iis salus nostra non minus quam justificatio tota debetur ; gratis salvamur, gratis justificamur : quod vero ad Paulum spectat, manifestum est, opera, de quibus ille disputat, ab eo haud minus ab ipsa salute quam a justificatione removeri ; quæ ab alterutra excludit opera, excludit ab utraque ; ex multis Pauli locis id liquet : nominatim confer Tit. iii. 5. Eph. ii. 8, 9. sed de his et id genus aliis Pauli locis jam tempus est ut videamus.

DISSERTATIO POSTERIOR

In Rom. iii. ver. 28. coll. cum Jacob. ii. ver. 24.

Λογίζομεθα οὖν, πίστει δικαιοῦσθαι ἄνθρωπον χωρὶς ἔργων νόμον.

Colligimus igitur, fide justificari hominem absque operibus legis.

CAP. I.

Variae theologorum sententiae de conciliatione inter Jacobum ac Paulum proponuntur. Refutatur prima opinio eorum, qui de justificatione fidei hominis coram hominibus aliis, non de justificatione hominis ipsius coram Deo, Jacobum interpretantur.

1. **C**ONCLUSIONEM S. Jacobi, de necessitate bonorum operum ad justificationem, jam satis proluxa argumentorum copia munivimus. Ea vero sic probe stabilita ac fixa, reliquum est, ut de concordia inter apostolos Jacobum et Paulum rationem ineamus. Audiamus utrumque. Conclusio Jacobi hæc est: Ὁρᾶτε τοίνυν ὅτι ἐξ ἔργων δικαιοῦται ἄνθρωπος, καὶ οὐκ ἐκ πίστεως μόνον· huic e contra veluti antithesis opponitur conclusio Pauli, Rom. iii. 28. Λογίζομεθα οὖν, πίστει δικαιοῦσθαι ἄνθρωπον χωρὶς ἔργων νόμον· quale hic χάσμα videmus! quam hæc adversis frontibus pugnancia!

2. Verum enimvero bono sis animo, lector, attende paulisper; nulli enim dubitamus, quin ambos

apostolos, in speciem licet longe dissidentes, amicissimos tandem relicturi simus. Imo pene ausim spondere, (quod tibi fortean incredibile videbitur,) me ex iis ipsis, quæ de operibus disputat Paulus, doctrinam Jacobi de justificatione ex operibus fortius adstructurum. Prius vero quam hoc opus aggrediamur, utile fortassis ac pene necessarium erit, quas alii alias excogitarunt conciliandi rationes in examen revocare.

3. Primo igitur plerique sentiunt, a Jacobo operibus non tribui justificationem coram Deo, (de qua loquitur Paulus,) sed declarationem solummodo atque ostensionem ejus coram hominibus: quæ fit non per fidem internam, quæ est invisibilis, sed per opera externa, quæ tanquam effecta fidei externa internam causam demonstrant; breviter, Paulum statuunt agere de justificatione hominis ipsius coram Deo, quæ fit sola fide; Jacobum vero de justificatione fidei hominis coram hominibus aliis, quæ ex operibus fit; atque inane hoc commentum duabus maxime rationibus probatum eunt.

32 4. 1^o. Id patet, inquiunt, ex ipsius Jacobi verbis, ver. 18. *Ostende fidem tuam ex operibus*; Annon hinc clarum est, Jacobum id tantum velle, per opera fieri ostensionem fidei coram hominibus? Resp. Quod apostolus hic dicit, de ostensione fidei coram hominibus, primarium ejus scopum non complet: id tantum principali quæstioni de justificatione coram Deo subjungitur: q. d. tantum abest, ut quis fide sola sine operibus apud Deum justificetur, ut ne homines quidem de alterius fide (humano more) certi esse possint, nisi pia facta eam testentur, optima fidei indicia. Veritatem hujus responsionis ex argumentis mox secuturis manifestissimam faciemus.

5. 2^o. Argumentantur, Abraham dicitur justifi-

catus per immolationem filii Isaac: at coram Deo multo ante fuit justificatus per fidem, Gen. xv. 6. ergo justificatio hic significat justum coram hominibus declarari, non coram Deo fieri. Resp. Objectio hæc falso nititur supposito, nempe justificationem esse actum (ut loquuntur) instantaneum, uno momento simul ac semel completum; quod nullo modo admitti debet. Est enim justificatio actus continuus, ac tum demum perfectus et consummatus, cum quis conditionem fœderis, per quod justificatur, perfecte et ad finem usque adimpleverit. Etiam si igitur Abraham fuit ante justificatus, dici nihilominus potuit etiam tum justificari, cum filium suum unicum, voto saltem, Deo immolarit; imo tum demum se Deo plenissime approbatum dedit, actu se. obedientiæ vere admirando, et quo major aut nobilior ab homine vix expectari potuit. Equidem nullus dubito, quin hæc sit ipsissima ratio, cur apostolus huic potius Abrahami operi voluerit insistere; cum alioqui potuisset altius atque ab ipsa origine rem, de qua agit, deducere. Est enim certum, Abrahamum, cum primum divino favore dignus habitus fuerit, se Deo probatum dedisse non fide sola, verum etiam actu obedientiæ non ignobili; quod se. oraculo divino obsecutus patriæ paternæque domui valedixerit, atque ad longam, incertam, ac periculosæ aleæ plenam peregrinationem se lubens atque alacris accinxerit. Hoc Abrahami factum graphice exornat autor Epistolæ ad Hebræos, cap. xi. 8. et fuit is sane actus vere heroicus; at fuit tamen hoc longe inferior, quo Isaacum filium suum, filium unicum, filium optimum, filium dilectissimum, filium diu expectatum, filium denique promissum, atque in hæredem mundi destinatum, ad Dei nutum occidere, (idque propriis

manibus,) atque in sacrificium ipsi offerre paratus fuit. Cum hoc faceret Abrahamus, jam ad ipsam fere obedientiæ ἀκμὴν pervenerat; jam obsequium suum testimonio, quo majus dari vix potuit, Deo commendarat; jam denique justificatio ejus tantum non complementum suum acceperat, ac pene consummata erat. Hinc Jacobus affirmat, Abrahamum, dato hoc suæ erga Deum obedientiæ admirando specimine, φίλον Θεοῦ κληθῆναι, *amicum Dei vocatum fuisse*, ver. 23. Nimirum manifeste alludit apostolus (ut Grotius apposite admodum observavit^a) ad ea quæ habemus Gen. xxii. 16. et sequentibus. Ubi Deus cum Abrahamo, ideo quod filio suo præ Dei amore non peperissêt, fœdus novum pascitur, idque ipsum sancit jure jurando, (quod quanti sit faciendum, vide Heb. vi. 13, &c.) et sic eum in propiorem amicitiae gradum recipit^b.

6. Obscuriora hæc fortean alicui videri possunt; attamen argumenta nostra, quibus istam Jacobi interpretationem prorsus ineptam esse ostensuri sumus, ipsa (ni fallor) luce erunt clariora. Dicimus igitur, hanc interpretationem esse tum ex se absurdam, tum ipsis Jacobi verbis plane incongruam, imo ex diametro fere repugnantem. Per se absurda est, nec vel speciem veri habet; quis enim adeo vecors fuit isto sæculo, qui cum apostolo contendere voluerit, an homo justificetur, i. e. declaretur justus in conspectu hominum, ex fide tantum? quippe fides est (omnium consensu) actio interna, non nisi in corde hominis producta, atque adeo a cognitione humana

^a In prior. annot. ad locum.

^b [Adjungit Grotius, " Quo et illud spectat quod est Esaiaë xli. " 8. et 2 Paral. xx. 7." et in his locis Abrahamus expresse dicitur *Dei amicus*.]

plane remota, nisi externis effectis ac fructibus naturæ ipsius consentaneis se prodatur.

7. Deinde ipsis Jacobi verbis repugnat hoc commentum. Nam 1. notandum est, quod apostolus, licet neget fide sola hominem justificari, fide tamen ex parte justificari concedat; ἐξ ἔργων, οὐκ ἐκ πίστεως μόνον. Jam vero si justificatio pro declaratione justitiæ accipiatur, manifestum est, hominem ex fide ne omnino quidem justificari. Quod enim quis in conspectu hominum justus appareat, id totum operibus debetur, quæ in hominum sensus incurrunt; nulla autem ex parte fidei convenit, quippe quæ sit actio interna, ab hominum notitia remotissima. 2. Quid quod hæc interpretatio in verbis Jacobi manifestum statuit solœcismum? si enim (ut modo^c eos dicentes audivimus) Jacobus in hac disputatione intelligendus sit de justificatione fidei nostræ coram hominibus, tum conclusio hæc, *videtis ex operibus hominem justificari, non fide sola*, sic reddenda esset; “ videtis “ ex operibus fidem hominis justificari, non fide 33
“ sola;” quo quid absurdius, aut tanto apostolo indignius? 3. Huic etiam interpretationi manifeste reclamant verba ver. 14. *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat?* μὴ δύναται ἡ πίστις σῶσαι αὐτόν; *numquid poterit fides salvare eum?* Annon hinc manifestum est, loqui apostolum de acceptatione hominis ad salutem apud Deum, non de approbatione hominis apud homines alios? 4. Idem Jacobo est (ut alicubi^d notavimus) *δικαιωθῆναι* et *φίλον Θεοῦ κληθῆναι*, ver. 23. loquitur igitur non nisi de justificatione ejusmodi, qua quis in Dei ipsius favorem atque amicitiam

^c [L. 3.]

^d [Diss. Prior. I. 5.]

admittatur. 5. Denique *justificari* apud Jacobum eodem sensu usurpatur, quo λογίζεσθαι εἰς δικαιοσύνην in Scripturis accipitur, ver. 23. at quis nescit, phrasi ista imputationem justitiæ ab ipso Deo, non declarationem justitiæ apud homines significari? Concludo itaque, hanc Jacobi interpretationem, ut palpabilis absurditatis plenam, nequaquam admittendam esse.

ANNOTATA J. E. GRABE

AD CAP. I.

AD SECT. 5.

Argumentantur.] Ad hujus objectionis vanitatem ostendendam, verbo solum addo, quod, si ea procederet, nec Paulus ex ipso quem citant loco Gen. xv. 6. colligere potuerit, Abrahamum per fidem tunc fuisse justificatum; siquidem jam ante in historia, Genes. xii. se fidelem DEO probavit, ac proinde justificatus fuit. Unde idem apostolus Heb. xi. 8. scribit: *Fide vocatus Abraham obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem: et exiit, nesciens quo iret.* Quam igitur ad hoc argumentum alii darent responsionem, hanc sibi ipsi capiant: nempe justificationem non esse actum momentaneum, qui simul atque semel fiat, sed continuum, et indies magis magisque perficiendum, uti vir reverendus hac sect. optime explanavit, et ipse S. Joannes confirmat noto isto dicto, Apocal. xxii. 11. *Qui justus est, justificetur adhuc, i. e. maneat et crescat in justitia, ac proinde etiam in favore ac amicitia Dei, juxta ista Servatoris verba Joan. xv. 10. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea; sicut et ego præcepta Patris mei servavi, et maneo in ejus dilectione.* Nam *Jesus proficiebat sapientia* (quidni justitia quoque) *et gratia coram DEO ac hominibus,* Luc. ii. 52.

AD SECT. 6. et 7.

Argumentis, quibus vir clariss. probavit S. Jacobum de justificatione, non coram hominibus solum, sed et coram

DEO locutum esse, sequentia subnecto. 1^{um}. suppeditat versus 12 et 13. hujus cap. ii. ubi apostolus ait, *Sic loquimini, et sic agite, sicut per legem libertatis judicandi. Judicium enim sine misericordia illi qui non fecerit misericordiam; superexultat autem misericordia iudicio.* Unde ver. 14. continuo subjungit, *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides salvare eum?* ex quibus recte colligas, Jacobum in hac disputatione, quam ibi exorditur, de justificatione in DEI, non hominum, iudicio loqui, *coram quo et dæmones tremunt*, juxta ver. 19. Quod 2. et ex adversariorum, cum quibus contendit, doctrina colligitur; Simonianorum puta, de quibus jam supra pag. 30. ex Irenæo annotavi, quod negaverint, nos secundum opera justos a DEO censi ac salvari. Adde hic suffragium Theodreti, lib. I. Hæret. Fabul. cap. 1. hanc, inter alias, Simonis Magi hypothesin recensentis; οὐ γὰρ διὰ πράξεων ἀγαθῶν, ἀλλὰ διὰ χάριτος τεύξεσθαι τῆς σωτηρίας, “Non enim per bonas actiones sed per gratiam salutem consecuturos.” Nisi itaque Jacobus in hac disputatione aerem verberaverit, (quod mihi sane, quidquid aliis videatur, nunquam persuaserim,) eodem sensu justificationem operibus tribuerit necesse est, quo adversarii inficias iverunt, in ordine nimirum ad æternam salutem, ac proinde in divino, non humano foro. Accedit denique 3^{ium}. argumentum, ad quod quidnam adversarii respondere queant, plane nescire me fateor. Hoc ita propono:

Coram quo Abrahamus per oblationem Isaaci justificatus est, coram illo et nos per opera justificari docuit Jacobus; 34

Atqui Abrahamus per oblationem Isaaci coram DEO justificatus est; Ergo &c.

De majore propositione nemo dubitat; minorem hoc prosyllogismo, ut mihi videtur, insolubili probatam do:

Per quod Abraham promissionem benedictionis in semine ejus (id est, Christo) pro se et posteris consecutus est, per hoc coram DEO justificatus est;

Atqui Abraham promissionem benedictionis in semine ejus, Christo, pro se et posteris per oblationem Isaaci con-

secutus est; Ergo Abraham per oblationem Isaaci coram DEO justificatus est.

Major iterum extra controversiam est posita, eaque ipsius S. Pauli argumentatio pro justificatione per fidem nititur. Vide Rom. iv. 13. Gal. iii. 14. seqq. Minoris veritas patet ex Gen. xxii. 16. *Per memetipsum juravi, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi—et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ: quæ verba ita clara sunt, ut nullo commentario nulloque alio argumento opus esse videatur.*

C A P. II.

Expenditur secunda sententia eorum, qui Jacobum de falsa et fucata, Paulum de vera ac viva fide loqui arbitratur. Multis argumentis obruitur ista opinio. Satisfit objectionibus adversariorum.

1. SECUNDA sententia est eorum, qui homonymiam in voce *fidei* statuunt. Paulus (inquiunt) loquitur de fide vera ac viva, quæ per opera est efficax; Jacobus de fide falsa, fucata, ac denique mortua, quæ est fidei tantum larva, non vera fides: nihil autem mirum est, Paulum fidei vivæ justificationem tribuere; Jacobum vero fidei mortuæ eandem prorsus detrahere.

2. Priusquam hanc sententiam expendamus, illud notatu haud indignum est, hanc interpretationem a plerisque cum priore conjungi; ita ut duplicem stant in verbis Jacobi cum Paulo collatis homonymiam; aliam in voce *justificationis*, qua justificatio apud Paulum pro justificatione hominis coram Deo, apud Jacobum vero pro declaratione justitiæ coram hominibus accipiatur; aliam in voce *fidei*, qua fides

apud Paulum fidem vivam, apud Jacobum fidem mortuam significet. Quam hæc confusa, incongrua, ac sibi repugnantia! si enim justificatio Jacobo sit declaratio fidei coram hominibus, et tamen fides ab eo accipiatur non pro fide vera ac viva, sed falsa ac mortua; annon inde sequetur, Jacobum dicere, fidem falsam ac mortuam coram hominibus declarari bonis operibus? quo quid absurdius? Hoc strictim notato, istam interpretationem seorsim atque a priore distinctam considerabimus.

3. Primo igitur quod dicunt, fidem intelligi a Jacobo quæ mortua sit ac sine operibus, hæc lege concedimus, si etiam fateantur omnem fidem per se mortuam esse, et non nisi ex operibus vitam suam accipere, h. e. sine operibus nihil apud Deum valere ad salutem; quod certe apostolus aperte docet. Atqui illud non sibi volunt adversarii; quippe qui stuant, fidem esse aliquam, quæ, etsi ab operibus sejungi non possit, ejusmodi tamen est naturæ, ut vim quandam in se habeat justificandi, quam nulla ex parte debeat operibus. Sensus igitur eorum est, Jacobum loqui de fide tali, quæ in genere fidei imperfecta sit, ac vera fidei natura plane careat; verbo dicam, quæ fidei tantum larva sit, non ipsa fides.

4. Sed hæc eorum interpretatio immane quantum a textu apostoli abhorret! 1^o. enim Jacobus fidem, de qua loquitur, ut bonam probat, ver. 19. *Tu credis Deum unum esse? καλῶς ποιεῖς, bene facis*; ergo de fide simulata nequaquam intelligendus est. 2^o. Fidem, de qua loquitur Jacobus, ex parte hominem justificare ipse concedit, ver. 24. atqui ex fide simulata, et quæ non vera sit, homo ne omnino quidem justificari dici potest. Respondet hic Paræus^e,

^e Explicat. dubiorum c. iii. ad Rom. dub. 9. in resp. ad obj. 3.

35 “ Apostolum non affirmare, sed negare, fidem justifi-
 “ care solam, h. e. solitariam, seu operibus vacuum ;
 “ nec partiri justificationem inter opera et fidem, sed
 “ totam operibus tribuere, fidei totam derogare ; ideo-
 “ que non dicere, *videtis etiam operibus*, sed *vide-*
 “ *tis operibus justificari hominem, et non fide tan-*
 “ *tum.*” Mira certe responsio ! nam 1. apostolus
 non dicit, fidem non justificare *solam*, vel *quæ sola*
est, sed non justificare *solum*, οὐκ ἐκ πίστεως μόνον.
 2. Si dicas adverbium μόνον poni pro adjectivo μόνης,
 res eodem redibit ; quippe manifestum erit, aposto-
 lum statuere, fidem, de qua loquitur, etsi non solam
 et sine operibus, operibus tamen conjunctam justifi-
 care ; quod de fide falsa ac fucata nullo modo dici
 potest. 3. Denique illud non potuissem non impri-
 mis mirari, quod Paræus dicit, justificationem a Ja-
 cobo totam operibus tribui ; nisi meminissem virum
 doctum existimasse, justificari apud Jacobum idem
 valere, quod justum ostendi coram hominibus. At
 si quis sanæ mentis post rationes modo^f in contrarium
 a nobis allatas ita senserit, eum dedita opera cæcu-
 tire mihi persuasissimum est. 3^o. Apostolum non
 tantum fucatæ, sed et veræ fidei solitarium justifi-
 candi officium detrahere, hoc argumento planum
 fiet : Fides ea, quæ in Abrahamo erat, proculdubio
 vera erat fides, non fidei larva ; at fides ipsa Abra-
 hami sine operibus ipsum justificare non valuit ; dici-
 tur enim ex operibus justificari, ver. 21. 4^o. ac post-
 remo, diserte loquitur apostolus de ea fide, quæ ali-
 quando cooperatur operibus, atque ex operibus ad
 finem (justificationis sc.) perducta est, ver. 22. quæ
 fucatæ fidei nullo modo aptari possunt : locum hunc
 superius^g vindicavimus. Verbo igitur dicam : De ea

^f [I. 7.]^g [Diss. Prior VI. 4. &c.]

fide manifeste disputat Jacobus, cui nihil desit præter bona opera, et quæ, si ei addantur bona opera, hominem sine dubio Deo gratum ac salvum reddet. Jam vero fucata fides est imperfecta in genere fidei, neque potest operibus bonis conjungi, iisve additis vera fieri.

5. Ad argumenta jam veniamus, quibus interpretationem suam adstructum eunt adversarii. Duo tantum proferunt, quæ considerationem mereantur. Primo objiciunt, Apostolum loqui de tali fide, quæ in ipsis etiam dæmonibus reperiatur; ac proinde nequaquam de vera fide intelligendum esse. Resp. Veram, h. e. non fucata[m] fidem et assensum in diabolis esse, certum est; cum id testetur apostolus, ac ratio ipsa confirmet. At fides hæc iis nihil prodest, quia nullam in iis charitatem efficit. Hoc autem ideo, tum quod norint se irrevocabili decreto a gratia evangelii seclusos, tum quod ita penitus depravata sit eorum natura, ut iis forsitan (etiamsi spes veniæ affulgeret) Deum amare et bonum aliquod velle aut facere plane impossibile sit. Vis ergo argumenti apostolici hæc est; Fidem atque assensum habent ipsi diaboli, quibus tamen ea fides nihil prodest; quia sc. pietatem in iis post se non trahat: pari ratione tu, quisquis es, qui fidei tuæ confidis, ex ea nullum fructum percipies, nisi opera fidei adjungas. Instabis; Vera fides est saltem vera virtus; neque id diffiteri volunt, qui sufficere eam ad justificationem negant; at nulla in diabolis reperitur vera virtus; ergo neque vera fides. Sed responsio non est admodum difficilis; eadem enim fides, quæ in homine virtus est, ut in diabolis existit, omni virtute caret: ratio videtur satis manifesta^h; Objectum fidei sive

^h Vide Estium in lib. III. diss. 23. §. 5.

res credendæ a diabolis tanta ac tam irrefragabili evidentiâ apprehenduntur, ut iis credere ipsis plane necessarium sit, adeoque nulla laus, neque virtus: at non eodem modo in homine fides efficitur; quippe etiamsi objecta fidei nobis proponantur ut summe credibilia atque ejusmodi argumentis confirmata, quæ æquis judiciis et ingeniis non plane pertinacibus abunde sufficere possintⁱ; non tamen ea nobis evidentiâ res credendæ ingeruntur, ut iis assentiri omnino necessarium sit; tum enim nullos infideles reperire esset inter evangelii auditores, quos tamen (proh dolor!) nimis multos esse experientia testatur. Hæc credendi libertas in homine facit, ut fides in ipso virtus sit atque actus obedientiæ laudabilis, quæ in diabolis nullam meretur laudem, quia libertate ista careant. Non parum firmari videtur hæc responsio ex ipso Jacobo, qui illam ipsam fidem, quam in diabolis reperiri concedit, in homine tamen laudat; *Tu credis*, inquit, *unum Deum esse*; Καλῶς ποιεῖς, *bene facis*; q. d. est quidem fides hæc laudanda virtus; at non sufficit, ad salutem nihil valet, nisi ei addantur charitatis opera.

6. Altera adversariorum objectio ex ver. 17. et 20. et 26. hujus capituli depromitur; Mortua fides non est vera fides; at fides, contra quam disputat Jacobus, dicitur ab eo *mortua*; ergo, &c. Resp. mirum certe merito videri debet, viros doctos tali argumento pugnare; cum nullus sit Jacobi locus, qui universam eorum interpretationem luculentius evertat; cuius id liquebit, qui verba ver. 26. sine gratia, sine odio expendit; Ὁσπερ γὰρ τὸ σῶμα χωρὶς πνεύματος νεκρόν

ⁱ Vide Thom. Bradward. de causa Dei, lib. I. cap. 1. Coroll. par. 32. p. 59. et H. Grot. de Verit. Religionis Christ. lib. II. in fine, et Scholasticos generatim.

ἐστίν, οὕτω καὶ ἡ πίστις χωρὶς τῶν ἔργων νεκρά ἐστίν, i. e. *Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus mortua est.* Observa enim hic, 1^o. cum fides sine operibus a Jacobo dicitur νεκρά, vocem illam νεκρά non tam ad ipsam fidei naturam respicere, quam ad effectum ejus; h. e. non significare, fidem 36 sine operibus non esse veram fidem, sed talem fidem effectum suo carere, i. e. apud Deum nihil quicquam valere, ad justificationem vel salutem hominis nequaquam prodesse; clare id liquet ex ver. 14. coll. cum ver. 17. ubi ἡ πίστις οὐ δύναται σωσαι, et ἡ πίστις νεκρά ἐστίν, idem valent: deinde illud manifestius adhuc apparet ex ver. 16. et 17. inter se collatis, ubi in protasi similitudinis ab apostolo usurpatæ legimus, τί τὸ ὄφελος; in apodosi vero, πίστις νεκρά ἐστίν idem ergo apud Jacobum significant *mortuum esse, et nihil prodesse.* 2^o. Observandum est, non dicere apostolum, *Sicut homo sine spiritu mortuus est;* sed, *Sicut corpus sine spiritu mortuum est;* unde evanescit frivola ista quorundam objectio, Homo mortuus non est homo, sed cadaver tantum hominis; ergo fides mortua non est fides, sed quoddam fidei cadaver: non enim comparat apostolus fidem mortuam cum homine mortuo, sed cum corpore mortuo. Sicut ergo corpus mortuum vere et proprie corpus est; ita fides mortua vere et proprie fides est. At corpus mortuum nihil agit, nullam vitæ actionem exercet; ita neque fides mortua quicquam prodest, aut ad salutem hominis confert. 3^o. Corpus, si spiritu informetur, vivum fit corpus, et actiones vitæ exercet; ita fides ea, de qua loquitur Jacobus, per opera ipsi addita, viva efficitur fides, atque ad salutem prodest; quod de fide falsa nemo sanæ mentis dixerit; quippe tali fidei deest vera fidei natura,

quam ab operibus mutuari non potest. Breviter, quod verum corpus non est, animæ jungi non potest, neque per illud actiones vitæ potest anima exercere; eodem plane modo, quæ fides vera non est, ei ut bona opera addantur, omnino est impossibile. 4°. Ac postremo, ex hac Jacobi similitudine illud saltem manifestum est, Bona opera in justificationis ac salutis negotio idem fidei præstare officium, quod corpori anima, quod ad vitam attinet; h. e. quemadmodum anima facit, ut corpus vivat atque actiones vitæ exerceat; ita bona opera efficiunt, ut fides vivat, h. e. ad salutem valeat. Cum enim fidem *mortuam esse*, et fidem *non posse salvare vel nihil prodesse*, idem significant, ut modo ostendimus, ex regula contrariorum sequitur, fidem *vivere*, et fidem *prodesse ac salutem operari*, idem etiam significare.

7. Quid his opponi ab iis possit, qui fidem esse unicum justificationis instrumentum, opera nihil in isto negotio agere docent, merito mireris; sed audi Cameronem, et

— Si Pergama dextra
Defendi possent, etiam hac defensa fuissent.

ÆN. II. 291.

Primo interrogat vir doctus^k, nec sine indignatione aliqua, utrum qui hanc Jacobi similitudinem rigide urgent, “cum spiritus sit causa vitæ corporis, “dixerint etiam opera esse fidei causam?” Resp. Ludit vir doctissimus in quæstione sua; non enim necesse est, ut qui dicunt, spiritum esse causam vitæ corporis, affirmant opera esse causam fidei; imo si illud dicerent, simili, quo utitur apostolus, abuterentur: non enim vel dicit, vel innuit Jacobus, spiritum

^k In Jac. ii. 26.

esse causam corporis, sed spiritum esse causam vitæ corporis: pari ratione opera bona non sunt causa fidei; at sunt causa vitæ fidei, h. e. efficiunt, ut fides hominis ad justificationem prosit, ejusque salutem operetur, quod per se et sine operibus præstare nequeat. Atque illud asserere non veremur, cum idem Jacobus ipse aperte doceat. Pergit Camero interrogare, “An perinde dicemus, motum tribui fidei per opera, ac anima corpori motum tribuit?” Resp. Omnino: nimirum motus ille fidei, quo ad salutem pertendit, operibus debetur, sine quibus fides hominem *σωσαι*, ad salutem producere, haudquaquam valeat; atque hoc etiam a Jacobo in terminis docetur, ver. 14. Denique rem suam concludit vir magnus hoc argumento; “Certissimum est apostolum dicere, Fidem *συνεργεῖν τοῖς ἔργοις* at corpus animæ *συνεργεῖν*, nemo satis “sanus dixerit.” Resp. 1. Si totum concederemus argumentum, quid inde sequeretur? nempe similitudinem apostoli rei, de qua agit, per omnia non quadrare. At quid isthuc tam mirum esset? Certe nullum fere simile excogitari potest adeo usquequaque aptum ac concinnum, ut non alicubi claudicet; sufficit quod similitudo apostoli scopo ipsius principali illustrando apte inserviat; nempe ostendere, fidem per se nihil ad salutem valere, aut operibus additis, ad finem suum, salutis scilicet, pertingere: plane quemadmodum corpus sine anima mortuum est, neque agere omnino potest; sed vero anima ipsi adjuncta vivit, atque actiones vitales exercere valet. 2. Sed quid, obsecro, absurdi in eo esset, si quis diceret corpus animæ *συνεργεῖν*; an ad Anticyras continuo relegandus esset? certe corpus aliquo sensu animæ *συνεργεῖν*, nemo satis sanæ mentis negaverit. Etsi enim anima sit omnium actionum fons ac principium,

37 corpus tamen etiam animæ cooperatur, atque ad-
jungitur tanquam instrumentum, quo in actionibus
suis plerisque edendis anima utitur, ac sine quo,
ut actiones istas anima perficiat, plane impossibile
est. Ita oculus, manus, pes, cæteræque corporis or-
ganicæ partes animæ subserviunt, ut instrumenta in
effectione earum actionum, quæ singulis earum con-
veniunt; neque potest anima exercere actionem
videndi, ambulandi, &c., nisi mediante oculo, pede,
&c. Itaque hic etiam quadrat similitudo. Etsi enim
charitas sit virtus illa, quam in salutis negotio Deus
imprimis respiciat, quæque sola ex gratioso Dei fœ-
dere necessario secum nexu salutem trahat; tamen
necesse est, ut huic charitati etiam fides subserviat,
quippe *sine qua impossibile sit placere Deo*, Heb.
xi. 6. Nihilominus sicut corpus animæ ita in a-
gendo subservit, ut tamen in se nullam agendi vim
habeat, quam ab anima non mutuatur; ita fides sic
charitati ad salutem cooperatur, ut in et per se nihil
ad salutem valeat, sed eatenus tantum, quatenus
charitate perficitur. Sed in re inutili nimiam po-
suimus operam.

8. Unicam solummodo observationem, quæ magis
usui erit, adjiciam; nempe ex hac ipsa apostoli si-
militudine optime stabiliri distinctionem illam fidei,
quam nostrates plerique temere exagitant (vix alia
certe de causa, quam quia a pontificiis usurpata sit)
in *informem* et *formatam*. Optarim certe, ut cæ-
teræ omnes scholasticorum distinctiones tam essent
S. Scripturis consentaneæ; est enim *fides informis*
apostolo velut corpus inanime, et *fides formata* velut
corpus animatum; sic ergo utrinque vera fides, sicut
utrinque verum corpus. At vero sicut corpus ina-
nime nihil agit; sic fides bonis operibus non animata

nihil ad salutem prodest. Laudanda certe erat Bucerii, viri optimi, moderatio, qui hac in parte nullam pontificiis litem intendendam censuit. Verba ejus, ut observatu dignissima, describere hic non gravabor; ita se habent¹: “ Non possum non sanius judicium
 “ optare quibusdam, qui hoc nostro sæculo plurimos
 “ admodum turbarunt hoc paradoxo, Sola nos fide
 “ salvari; cum viderent tamen huc eo rapi, ac si
 “ justitiam sola animi existimatione finirent. Quæ
 “ jam illa charitas, quæ huic malo uno verbulo
 “ mederi dedignatur? ut dicerent, *fide formata* justi-
 “ ficamur; aut, per fidem bonorum operum volun-
 “ tatem ac ita justitiam consequimur; aut, fides fun-
 “ damentum ac radix est justæ vitæ, ut Augustinus
 “ dixit; neque veris enim quisquam offendendus
 “ est.” Hæc ille: ad hanc autem distinctionem recte intelligendam observandum est, cum apostolus opera fidei formam statuit, considerari ab ipso opera in sua radice, h. e. non tam in externo effectum, quam interno affectu, seu bona voluntate et charitate, quæ forma est fidei, (quatenus sc. justificat,) sicut anima corporis. Sentit enim Jacobus, fidem operandi voluntate destitutam mortuam esse; sicut corpus anima privatum mortuum est.

Atque de secunda Jacobi interpretatione hactenus.

CAP. III.

Expenditur tertia sententia eorum, qui Jacobo et Paulo inter se conciliandis distinctionem quandam justificationis in primam et secundam adhibent. Breviter ostenditur, sententiam istam tum falsum supponere, tum ab

¹ In Psal. xi. edit. Argentorat.

utriusque apostoli scopo alienam esse. Idem fit iudicium de quarta atque ultima Josuæ Placcæi sententia, de duplici accusatione, a qua in justificatione absolvimur ac liberamur.

1. TERTIA conciliandi ratio, a nobis breviter expendenda, eorum est, qui distinctione quadam justificationis in *primam* et *secundam* hanc inter Paulum ac Jacobum *ἐναντιοφάνειαν* facile sublatum iri arbitrantur. Nimirum initium justificationis statuunt fide sola sine operibus obtineri secundum Paulum; continuationem vero, perfectionem, ac complementum justitiæ non nisi ex operibus fieri; atque id solummodo a Jacobo doceri. Hanc interpretationem plerique pontificii scriptores magni faciunt; neque eam suo sensui accommodatam respuunt nonnulli ex reformatis theologis; suo inquam sensui accommodatam; quia pontificii per justificationem primam intelligunt primæ gratiæ infusionem, quæ fit per fidem eam, qua cor purificatur; reformati vero, qui ista distinctione utuntur, per primam justificationem volunt primum hominis in Dei favorem atque amicitiam introitum atque ingressum, quem fide sola obtineri Paulum docere existimant.

2. Verum enimvero utrique in hac distinctione tum falsum supponunt, tum ab utriusque apostoli scopo longius aberrant. Falsum supponunt pontificii, eo quod vocabulum justificationis in Paulinis disputationibus pro habitualis gratiæ infusione accipi pro concessio sumant; cui tamen non nisi ad Græcas calendas probando erunt; reformati vero hoc falso nituntur fundamento, quod primam justificationem fide sola sine operibus homini contingere arbitrentur, quod nequaquam concedi debet. Nemo

enim (ut supra¹ argumentis onni exceptione majoribus evicimus) vel ad primam justificationis gratiam pervenire potest, qui pœnitentiæ opera non præstitit. Haud tamen diffitebor, opera ea, quæ primam justificationem præcedunt, longe minora ac pauciora esse iis, quæ jam justificatum sequuntur. Etenim post justificationem DEUS, in flagrantissimi amoris signum, uberiorem Spiritus sui mensuram in nos effundit, qua opera egregia ac vere heroica producere valeamus; atque ita qui fuerant צדיקים, fiunt et חסידים in summo gradu, ut eleganter Grotius^m. Atque in hunc sensum (ut optime nos monet idem Grotiusⁿ,) intelligenda sunt cum multa, quæ veteres de justificatione ex fide sola dixerunt; tum imprimis illud Augustini, fere in omnium ore jactatum, “Bona opera sequuntur justificatum, non præcedunt justificandum.” Nimirum intelligendus est Augustinus non de operibus quibuscunque, sed de longa ac jugi operatione; ut sensus ejus sit, pauciora ac minora esse opera, quæ justificandum præcedunt, quam quæ justificatum sequuntur: absque hoc grano salis axioma illud (adeo ab omnibus decantatum) a manifesta falsitate vix ac ne vix quidem purgari possit.

3. Reliquum est, ut, quam hæc conciliatio, ut ea a theologis tum reformatis tum pontificiis intelligitur, ab utriusque apostoli scopo atque instituto aliena sit, breviter ostendamus. Ad Jacobum quod attinet, tantum abest, ut fidei soli sine operibus prima ab ipso justificatio concedatur, ut fidem per se, tanquam rem vanam, inutilem, ac plane mortuam

¹ [Diss. Prior. II. 6.]

^m Vot. pro pace, p. 22.

ⁿ In Annot. in Consult. Cassan. ad Art. 4.

rejiciat penitus^o. Si vero Paulum spectes, non magis quadrat hæc conciliatio ad ea, quæ ab ipso disputantur. Ex tota enim disputationis ejus serie manifestum fit, opera, qualia ab ipso intelliguntur, non tantum a justificatione prima, sed a secunda, atque adeo (ut superius^p indicavimus) ab ipsa salute removeri. Nihil itaque felicins cessit hæc tertia conciliandi ratio.

4. Restat quarta atque ultima sententia, quam viro docto, Josuæ Placæo, video mirifice placuisse; nec satis scio, annon sit ei propria ac peculiaris. Eam sic explicat^q; “Opponitur justificatio accusationi; a duabus autem accusationibus premimur in foro divino. Primum objicitur, nos esse peccatores; h. e. reos violatæ conditionis, quæ fœdere legali lata est: deinde objicitur, nos esse infideles; h. e. non præstitisse conditionem fœderis gratiæ, videlicet fidem. Ab accusatione priore sola fide justificamur, qua Christi gratiam ac justitiam amplectimur; a posteriore justificamur etiam operibus, quatenus iis fides ostenditur. Ad posteriorem accusationem respiciens Jacobus, affirmavit merito, *Ex operibus justificari hominem, et non ex fide tantum*; Paulus vero respiciens ad priorem, *Sola fide hominem sine operibus justificari* contendit.” Sic ille: sed (ut alia taceam non pauca, in hac sententia merito culpanda) fallitur tum in thesi, tum in hypothesis sua vir eruditus. In thesi quidem, quod statuatur, fidem esse totam atque integram fœderis

^o Exemplum quoque meretricis Rahab, ver. 25. allatum, satis ostendit, Jacobum ipsam primam hominis, etiam infidelis, justificationem disputatione sua complexum esse. GRABE.

^p [Diss. Prior. VI. 12.]

^q Theses Theolog. Salmur. vol. I. de justif. Thes. 41. p. 35.

evangelici conditionem; opera autem considerari solummodo ut fidei signa atque argumenta; quod falsissimum esse jam ante^r liquido probavimus: in hypothesisi vero, quod sentiat, opera a Jacobo tanquam ad justificationem illam posteriorem necessaria, fidem a Paulo ut ad justificationem priorem sufficientem admitti; quod utrumque a vero alienum esse modo ostendimus, ac de Paulo mox plenissime demonstraturi sumus. Neque igitur ad hujus nodi solutionem quicquam confert hæc ultima sententia^s: meliora quæramus.

ANNOTATA J. E. GRABE

39

AD CAP. III.

AD SECT. 2.

Illud Augustini, fere in omnium ore jactatum] Isti Augustini dicto cum clarissimam lucem afferant verba supra laudati, et nunquam satis laudandi, Gulielmi Forbesii in Considerationibus pacificis de Justificatione, lib. I. cap. 3. sect. 3. ea hic annotare operæ pretium duxi: "Quod," inquit, "ad nauseam usque ex Augustino de Fide et Operibus, cap. 14. repetunt, (*Bona opera sequi justificatum, non autem præcedere justificandum,*) næ illi mentem Augustini nunquam sunt assequuti. Loquitur enim eo loci Augustinus de operibus justitiæ, quæ percepta et professæ fide (ut ipse ait) fidelibus deinde diligenter toto vitæ cursu præstanda sunt, seu de operibus illis, quæ per justitiam habitualem, i. e. in ipsa justificatione infusam, inhærentem, et permanentem efficiuntur, atque sic specialiter quadam ratione dicuntur bona opera; non autem de iis, quæ per Spiritus S. gratiam assistentem et præparantem fiunt ante et ad justificationem peccatoris." &c.

^r [Diss. Prior. V. 5.]

^s Eam prolixius refutavit clariss. auctor in Examine Censuræ, Resp. ad Animadvers. XV. GRABE.

Nimirum in his *justa* agunt fideles; in illis *juste*, ut Aristoteles in Ethicis distinguit.

CAP. IV.

Ad veram nodi solutionem via sternitur. Paulus ex Jacobo, non Jacobus ex Paulo interpretandus. Duplex apud Paulum ambiguitas: altera in voce fidei, in voce operum altera. Quid per fidem Paulus intelligat. Fidem ipsi denotare universam illam, quæ evangelio exhibetur, obedientiam, argumentis clare ostenditur. Grotii argumento pro contraria parte respondetur.

1. EXPENSIS aliorum de conciliatione inter Paulum et Jacobum sententiis, iisque non sine evidentissimis rationibus rejectis; tempus est, ut tandem de vera ac genuina hujus nodi explicatione videamus.

2. Ac primo quidem ex iis quæ jam diximus, illud fundamenti loco statui potest, rationi longe convenientius esse, ut Paulum ex Jacobo, quam ut Jacobum ex Paulo interpretemur^t. Præterquam enim quod verba Jacobi sint adeo diserta, clara, ac perspicua, ut, qui de eorum sensu dubitat, nodum plane in scirpo quærere meritissimo jure dicendus sit; illud etiam notatu haud indignum est, quod veterum multi (eosque inter Augustinus) censent, Epistolam Jacobi, et Johannis primam, et Judæ, et eam quæ Petri secunda dicitur, scriptas adversus eos, qui Paulinas Epistolas prave interpretantes, fidem dicebant sine bonis operibus ad salutem sufficere. Cui sententiæ fidem faciunt ultima Epistolæ illius, quæ Petro adscribitur, verba^u; ubi *δυσνόητά τινα*

^t Vide Examen Censuræ, Resp. ad Animadvers. I. GRABE.

^u Expende etiam ejusdem Epistolæ cap. i. ver. 5—9.

affirmat in Paulinis Epistolis reperiri, a pessimis hominibus in pessimum sensum usque ad perniciem suam distorta; certe enim, si rem probe expendas, nullam invenies in Epistolis Paulinis doctrinam, quæ pravis interpretationibus sit magis exposita, vel quæ revera a primis usque seculis in hunc ipsum diem pejores passa fuerit, quam hæc ipsa de justificatione ex fide sola sine operibus disputatio. Idem quoque probabile fit ex eo, quod Jacobus ejusdem Abrahami exemplo utitur, ut probet opera ad justificationem requiri, ex cujus exemplo Paulus intulerat, justificari hominem per fidem sine operibus, 40 Rom. iv. per totum.

3. Ut sit, de Jacobi sensu plane constat; quicquid aut ambiguitatis, aut obscuritatis sit, id totum in Paulinis Epistolis quærendum. Ea vero in Pauli verbis ambiguitas vel in vocabulo *justificationis*, vel in nomine *fidei*, vel denique in voce *operum* statuenda est. Ad vocabulum *justificationis* quod attinet, satis (ut arbitror) jam evicimus^x, illud in Paulinis Epistolis hunc sensum obtinere, ut significet actionem Dei, more judicis, hominem absolventis, justumque pronuntiantis, atque ad præmium vitæ æternæ acceptantis; de hoc igitur nulla manet controversia. Reliquum est, ut ambiguitas vel in nomine *fidei*, vel in voce *operum* sita sit; ac profecto in utroque vocabulo, prout a Paulo usurpatur, latet homonymia: qualis ea sit, jam ostensuri sumus.

4. Primo igitur, quid per *fidem* intelligat Paulus, quæri potest ac debet. Ad cujus quæstionis solutionem, quod superius^y strictim notavimus, hic fusius

^x Dissert. Prior. cap. I. 6. GRABE.

^y [Diss. Prior. II. 10.]

a nobis explicandum ac demonstrandum est : sc. fidem, cui justificatio a Paulo tribuitur, pro unica ac simplici virtute nequaquam sumendam esse, sed integram fœderis evangelici conditionem denotare, h. e. suo ambitu omnia Christianæ pietatis opera complecti. Recte enim Zegerus, ^z “ Absoluta et “ perfecta fides, cujus frequentior est in Scripturis “ mentio, ea est, qua non modo Deo, et Deum cre- “ dimus, verum etiam in Deum, h. e. credendo pio “ affectu pariter et effectu in Deum tendimus, et ab “ illo pendemus. Atque hæc simul spem, charita- “ tem, et bona opera complectitur.” Et paulo post, “ Hic igitur memineris oportet, quod ubicunque “ Paulus, vel alia Scriptura sacra fidei tribuit justi- “ ficationem, salutem, vitam, aut aliquid hujusmodi “ de fide loquatur viva et perfecta,” h. e. quæ spem, charitatem, bona opera complectitur.

5. Hoc unum si evicerimus, reliqua apud Paulum longe erunt faciliora. Ac primo quidem id clare liquet ex locis nonnullis inter se collatis, in quibus Paulus sui ipsius interpretem manifeste agit; Gal. v. 6. *In Christo Jesu neque circumcisio quicquam valct, neque præputium, sed fides per charitatem efficax*: et cap. vi. 15. *In Christo Jesu neque circumcisio quicquam valct, neque præputium, sed nova creatura*: 1 Cor. vii. 19. *Circumcisio nihil est, et præputium nihil est, sed observatio præceptorum Dei*. Quis hæc legens adhuc dubitare possit, quid per fidem Paulus voluerit? nimirum luce clarius est, fidem, cui justificatio ab ipso tribuitur, non nisi eam esse, quæ per charitatem sit efficax, quæ eadem plane sit cum nova creatura, denique quæ observa-

^z In præf. ad Annot. ad Ep. Pauli.

tionem mandatorum Dei in se contineat. Huc refer loca, in quibus fides a Paulo per obedientiam exponitur: sic Rom. x. 16. *Sed non omnes evangelio paruerunt; Esaias enim dicit, Domine, quis credidit sermoni nostro?* quis non videt, hic πιστεύειν, credere, et ὑπακούειν εὐαγγελίῳ, parere evangelio, apud Paulum idem prorsus significare? Si quis autem dubitat, quid Paulo sit ὑπακούειν εὐαγγελίῳ, consulat Rom. xv. 18, ubi phrasis ista exponitur per ὑπακοὴν λόγῳ καὶ ἔργῳ, obedientiam oris et operis^a. Hinc etiam passim legimus περὶ ὑπακοῆς πίστεως, de obedientia fidei, h. e. de obedientia illa quæ ex fide proficiscitur; Rom. i. 5. et xvi. 19, 26. 2 Cor. vii. 15. et x. 5, 6. confer etiam 1 Pet. i. 2, 22.

6. Deinde hoc ipsum ex eo manifestum fit, quod apostolus, cum de fide sola, a charitate disjuncta, loquitur, eam nihili plane faciat; 1 Cor. xiii. 2. *Si habeam omnem fidem, charitatem autem non habeam, nihil sum.* Quod hic excipiunt nonnulli, Paulum loqui solummodo de fide miraculorum, non de perfecta fide, prorsus ineptum est. Nam, 1^o. De omnigena fide diserte loquitur: εἰς πάντα τὰ ἔθνη πίστευσα, &c., sic πάντα γινώσκω ibidem dicit pro omni genere cognitionis: sic et πάντα θλίψις, 2 Cor. i. 4. 2^o. Fides miraculorum est summus fidei gradus, nec datur ulla fides, quæ sit mera fides atque a charitate disjuncta, major aut nobilior. Qui enim in tantum Christi evangelio credit et Christo confidit, ut per hanc fidem vel summa miracula efficere valeat, ejus certe tum assensus, tum fiducia ad summum

^a [Pauli verba sunt οὐ τολμήσω λαλεῖν τι ὧν οὐ κατειργάσατο Χριστὸς δι' ἐμοῦ, εἰς ὑπακοὴν ἔθνων, λόγῳ καὶ ἔργῳ, ubi λόγῳ καὶ ἔργῳ ad κατειργάσατο, i. e. ad apostolum referenda sunt, non ad ὑπακοήν, i. e. ad Gentes.]

gradum pervenerunt. Cum igitur concedunt ii, quibuscum disputamus, fidem miraculorum per se nihil apud Deum valere, eadem opera fatentur, nullam esse omnino fidem nude consideratam, quæ ad hominis salutem quicquam conferat. Mens certe apostoli clara est; Si habeam omnigenam fidem, usque ad eum fidei gradum, quo miracula efficiantur; imo amplius adhuc, eum miraculorum fidei gradum, ut non tantum minora, sed et maxima miracula, qualis est montium immensæ molis translatio, præstare valeam; nihil tamen sum, h. e. nihil sum secundum esse gratiæ, ut Aquinas: vel nihil sum in esse divini consortii, ut Cajetanus: vel denique (quæ omnia eodem recidunt) nihil mihi prodest hæc fides ad vitam æternam, nisi ei etiam charitatem addidero. 3°. Illud, 41 opinor, nullus inficiabitur, Paulum hic loqui de charitate non quacunque, sed de vera et evangelica; quam si conferat cum aliis donis mortuis, friget amplificatio; quid enim magni sit, si vera charitas præferatur vel non sanæ cognitioni, vel ementitæ prophetiæ, vel non veræ fidei? Hoc nimirum (ut scite Erasmus^b) perinde sit, quasi si quis volens exaggerare robur tauri, componat illum cum leone vel mortuo, vel dentibus atque unguibus exarmato. Certum est igitur, Paulum veram et evangelicam charitatem amplificandi gratia conferre cum veris ac perfectis donis Spiritus, et cognitionis, et prophetiæ, et fidei. 4°. Atque ultimo, apostolum sub finem capituli, nempe ver. ult. agere de vera et perfecta fide, in confesso est. Necessè est igitur ut statuamus, de eadem agi initio capituli, cum disputatio continua sit; alioquin apostolus diceret *ἀνακόλουθα*.

^b In locum.

7. Multum hic agitur quæstio, An vera fides a charitate possit separari? ad me quod attinet, partem quæstionis affirmativam verissimam esse nullus dubito. Rationes ex hoc ipso loco satis manifestæ sunt. Nam 1. Contraria sententia (ut alicubi^c diximus) suppositionem apostoli ineptam facit. 2. Certum est, cognitionem et prophetiam, quæ ab apostolo in eodem cum fide censu ponuntur, a charitate se jungi posse. Sed (ut quod res est dicam) controversiam hanc, ad causam nostram quod attinet, ἀπροσδιόνυσον esse omnino judico. Sive enim statuas, veram fidem charitatem sibi indivulsam comitem habere, sive contrarium definias; illud saltem ex apostoli verbis manifestum est, nullam esse omnino fidem, quæ ad salutem hominis quicquam valeat, nisi quæ et quatenus charitate perficiatur. Eandem enim certe fidem, quæ, si a charitate divelli potuisset, nihil prodesset, etiam charitati adjunctam nihil per se valere, nullam justificandi vim aut virtutem habere, quam charitati non debeat, manifestum est. Sed illud obiter.

8. Denique fidem, cui justificationem tribuit Paulus, obedientiam in se complecti, vel hinc patet, quod ipse alicubi præceptorum Dei observationem ad justificationem esse necessariam diserte statuatur. Locus est Rom. ii. 13. *Non enim qui audiunt legem justi sunt apud Deum, sed qui legem præstant justificabuntur.* Legem hic ad ea præcepta restringi, quæ moralia sunt, h. e. universalis ac perpetui juris, ex toto apostoli contextu liquet. Hujus autem legis observationem ad justificationem esse omnino necessariam, apostolus in terminis affirmat. Excipit qui-

^c [Diss. Prior. IV. 3.]

dem Calvinus, et post eum alii, Paulum hic loqui ad hominem, non vero κατὰ ἀκρίβειαν ac rei ipsius veritatem. Verba Calvini^d sunt, “Tantum urget apud “Judæos apostolus illud, de quo meminerat, legis “judicium; quod non possint per legem justificari “nisi legem impleant; si transgrediantur, paratam “mox esse illis maledictionem.” Imo paulo superius hæc verba (pro more suo) indignabundus effundit; “Qui hoc loco abutuntur ad erigendam operum “justificationem, etiam puerorum cachinnis sunt “dignissimi.” Verum enimvero hujusmodi dicta puero potius, quam tanto viro, digna fuissent: etsi enim his verbis apostolum Judæos imprimis (quippe qui legis hujus æternæ clarius sibi revelatæ cognitione superbirent, atque adeo nuda ista cognitione, quasi ipsis ad salutem sufficeret, nimium sibi placerent) perstringere non diffiteamur; nulli tamen dubitamus, quin hæc ipsa verba ad omnes, qui justificari volunt, atque eadem legis cognitione imbuti sunt, indiscriminatim pertineant, et non ad hominem, sed ad rei ipsius ipsissimam veritatem dicta sint. Rationes ex ipso textu sunt manifestæ; nam primo, si quæ dicit apostolus ver. 6—11. viz. *Deum unicuique secundum opera ipsius redditurum; illis, qui in perseverantia operum bonorum gloriam quaerunt, vitam æternam; contentiosis vero et immorigeris iram et indignationem: afflictionem et conturbationem futuram omni homini qui operatur mala, Judæis primum, dein Gentilibus; gloriam vero et honorem et pacem omni operanti bona, Judæis primum, dein Gentilibus, &c.* si, inquam, hæc sententiæ non ad hominem, sed ad rem dictæ sint, non Judæos

^d In locum.

solum respiciant, sed ad omnes sine discrimine pertineant; (illud vero quis ausit negare?) tum dubio procul verba ver. 13. eodem etiam referenda sunt, siquidem per causativam particulam γὰρ cum antecedentis connectantur, nec plus dicant quam in iis continetur. Recte enim Bucerus^e, “Nititur hoc dictum eo, quod Deus reddit cuique secundum facta sua: hinc enim est, ut Deus his qui faciunt legem, h. e. serio student legi, rependat vitam æternam.” Deinde cum supponit Calvinus agi hic de justificatione sub conditione impossibili, viz. siquis legem præstet, clare refellitur ex ver. 16. qui ver. 13. omnium fere interpretum consensu adungi debet, cæteris παρενθετικῶς interpositis. Ibi enim dicitur hanc legis factorum justificationem actu et reipsa futuram esse in die iudicii^f. Legat quisquis dubitat, ac sine gratia, sine odio cujusquam, integram periodum expendat, atque hanc esse ipsissimam Pauli mentem mirum est ni fateatur. Quid ergo, inquires? Numquis legem Dei facere possit? Respondebit hic Bucerus, “Sicut in præcedentibus operari bonum vel malum est bono vel malo studere, animo incumbere et intentum esse; ita facere legem, aut esse legis patratores, nihil aliud est, quam legi deditum esse, legem meditari, in eo esse, ut legi vita omnis conformetur; hoc nimirum,

^e In locum. [p. 110. ed. 1562.]

^f Sed quicquid de connexionem versus 16. cum versu 13. statuatur, hic certe cohæret cum proxime præcedenti versu 12. imo rationem ejus subnectit, quod ibidem dicitur; nempe, Illos qui in lege peccaverunt, per legem iudicandos esse: “Non enim,” inquit, “qui solum audiverint, sed qui fecerint insuper legem, a iudicio condemnationis erunt immunes.” Quæ ratio nulla est, nisi hoc reapse fiat. GRABE.

“quod ubique Dominus in lege sua requirit.” Confer Rom. xiii. 10. Gal. v. 14. Jac. ii. 8. Verbo dicam, eadem est hæc Pauli sententia cum illa Jacobi, ad evangelium tantum magis accommodata, Jac. i. 22. *Factores estote sermonis et ne auditores solum, falsa ratiocinatione vosmetipsos fallentes.* Cui addas Christi ipsius dicta, Matt. vii. 21, 24. Jo. xiv. 21. et xiii. 17. Prius autem quam illustrem hunc locum missum faciam, visum est, quæ ad eum scribit doctissimus Estius, commemorare; “Sane,” inquit, “videri potest, idcirco Paulum hic tam diligenter commendare voluisse bona opera, ut ad justitiam ac vitam æternam conducibilia ac necessaria, quo lectorem præmuniret, ne sequentem ipsius doctrinam, qua justificationem tradit ex fide sine operibus, male intelligendo offendiculum pateretur, aut in errorem incurreret.” Certe eatenus saltem ei lubens assentior, ut credam, non sine magna Dei providentia id factum fuisse.

9. Videor mihi etiam alium locum vidisse, ubi obedientia mandatorum Dei ad justificationem necessaria a Paulo diserte statuitur; is est Rom. vi. 16. *An nescitis, quod cui sistitis vos servos ad obediendum, ejus servi estis cui auscultatis, ἤτοι ἀμαρτίας εἰς θάνατον, ἢ ὑπακοῆς εἰς δικαιοσύνην, sive peccati ad mortem, sive obedientiæ ad justitiam?* Hypallagen hic esse censet Paræus, ut verba, *obedientiæ ad justitiam*, ponantur pro *justitiæ ad obedientiam*; sed quæ sit hic hujus figuræ necessitas, plane non video; imo talis hypallage manifestam in Pauli verbis antithesin tollit; nulla enim inter *obedientiam* ac *mortem* per se est oppositio. Interpretationem itaque verborum expeditam ac facilem hanc esse judico, ut vox *obedientia* metonymice sumatur pro

lege evangelica cui obeditur, vocabulum vero δικαιοσύνη sensu satis usitato pro δικαίωσις accipiatur; atque ita textus sic exponatur; *An nescitis, cui sistitis vos servos ad obediendum, ejus servi estis, cui auscultatis, sive peccati ad mortem, sive evangelii ad justificationem vitæ?* certe δικαιοσύνη, ut τῆ θανάτῳ opponitur, non nisi *justificationem* aut huic aliquid simile significare posse videtur; sed illud a nobis mantissæ loco additum fuit, cum ex antedictis satis pateat, fidem a Paulo accipi pro universa mandatorum Christi obedientia.

10. Hanc tamen Pauli interpretationem rejicit Grotius in Præfat. ad Annot. in Epist. ad Roman. ubi, commemorata prius aliorum sententia de significatione vocis *fidei* apud Paulum, hanc etiam nostram designat reprobaturque his verbis; “ Alii per “ fidem intelligunt omnem illam, quæ evangelio exhibetur, obedientiam; atqui neque hoc cum Pauli “ locutione congruit; is enim dilectionem præfert “ fidei, 1 Cor. xiii. 13. et fidem dicit opus suum per “ dilectionem exequi, Gal. v. 6. aperte a fide dilectionem, quæ præcipua pars est illius obedientiæ, distinguens.” Sed nihil nos lædit hoc viri doctissimi argumentum; neque enim negamus nos, fidem alicubi ab apostolo a charitate ejusque operibus aperte distingui; affirmamus solummodo Paulum, cum fidei soli justificationem ac salutem tribuit, licet fidem solam nominet, cætera etiam omnia intelligere quæ fidem sequi solent. Idque ex iis ipsis locis, ubi fidem a charitate distinguit, liquere credimus. Cum enim ibi fidem a charitate disjunctam apud Deum nihil quicquam valere affirmet apostolus, hinc solide colligimus, ipsum, cum alias fidei fere omnia tribuit,

fidem intelligere vera charitate informatam; alioquin enim sibi ipsi contradiceret.

CAP. V.

Fundamentum ejus locutionis, qua fides pro universa, quæ evangelio exhibetur, obedientia accipitur; nempe, quod sit et initium et radix totius evangelicæ justitiæ. Exponitur locus ad Rom. x. 11. coll. cum ver. 12, 13. Eadem fere de causa universa pietas cognitio sive scientia appellatur in S. Scripturis. Causa, cur Paulus in descriptione conditionis, quæ ex parte nostra ad salutem requiritur, nomine fidei tam libenter uti soleat, ulterius investigatur. Ea duplex potissimum est; ut istius conditionis, 1. exprimaturs facilitas, 2. tollatur meritum.

1. HOC probe stabilito ac fixo, fortean operæ pretium erit causas hujusmodi locutionis a Paulo usurpatæ investigare. Fundamentum, quo hic loquendi modus nititur, superius^g indicavimus; nempe, quod fides sit initium et radix totius evangelicæ justitiæ, sine qua nulla virtus salutifera in homine possit existere, quæque adeo, si vis ejus non impediatur, alias quascunque virtutes (velut filum acus) post se trahat; ut Paulus, cum omnem illam, quæ evangelio exhibetur, obedientiam *fidei* nomine exprimit, tropo utatur ei haud multum absimili, quo apud Latinos scriptores *audire* vel *auscultare* dicitur pro *obtemperare*, ut in illo Terentii Andr.

Pamphilumne adjutem, an auscultem seni^h?

quam metonymiam antecedentis pro consequente

^g [Diss. Prior. II. 10.]

^h Act. I. Scen. 3.

solemnus appellare; quanquam fides respectu cæterarum virtutum non sit merum antecedens, sed, ut sæpe diximus, causa, etsi non sola aut necessaria; adeoque hoc loquendi genus ad metonymiam etiam efficientis referri possit. Appositissimum, ni fallor, huic rei explicandæ locum habemus Rom. x. 11. coll. cum ver. 13, 14. ubi locus Scripturæ ab apostolo citatus ver. 11. *Quisquis credit in eum*, (Dominum sc.) *non pudefiet*, ex alia Scripturæ sententia sic exponitur ver. 13. *Quisquis invocaverit nomen Domini*, (h. e. ex animo Dominum coluerit) *salvus erit*: invocationem enim divini nominis hic, ut alibi sæpe, (confer Psal. xiv. 4. et liii. 4. Isa. xliii. 22. Jer. x. ult. 1 Cor. i. 2.) totum atque integrum divini Numinis cultum significare manifestum est; ut Paulus, cum fidei salutem tribuit, fidem eam velit, quæ cultum Dei (in Christo sc. atque ex præscripto evangelii ejus) sibi conjunctum habeat. Cur igitur, inquires, totum illud *fidei* solius nomine exprimere voluit apostolus? rationem mox ipse innuit ver. 14. *Quomodo igitur invocabunt eum, in quem non crediderunt?* nempe sine hac fide nemo Deum in Christo potest rite colere, et hæc fides cultum istum parere apta nata est: fieri omnino non potest, ut colat, qui non credit; fieri vix potest, ut non colat, qui credit. Observandum autem hic, (*ὡς ἐν παρόδῳ*), quod tria hæc ab apostolo in eodem commate posita, *invocatio*, *fides*, et *auditus* sive cognitio, singula quidem ad salutem sint necessaria sub diversa tamen ratione; scil. cognitio et fides necessaria sunt necessitate (nt ita dicam) mediata, cultus vero iste immediate; h. e. cognitio et fides ideo tantum necessaria sunt, quod sine iis nemo cultum præstare possit qui Deo ad salutem gratus sit; cultus vero ipse illud demum est,

quod necessarium sit per se, ac salutis effectum (vi se. fœderis evangelici) proxime attingat: sed illud obiter.

2. Porro hæc eadem de causa pietas, quæ ad salutem requiritur, nomine *cognitionis* sive scientiæ non raro in Scripturis denotatur, ut Joh. i. 10. et viii. 19, 55. et xvii. 3. Phil. iii. 8. 1 Joh. ii. 3, 4, 13, 14, 20. et iv. 6, 7, 8. et v. 20. Imo huic cognitioni justificatio ipsa diserte tribuitur Isa. liii. 11. *Cognitione sui justificabit multos servus meus justus*; nimirum, ut recte Forerius in locum: “ Est quoddam cognoscere Deum seu Christum in Scripturis, quod non est sine iis omnibus, quæ catholica doctrina ad justificationem dicit necessaria; est, inquam, quædam cognitio, quam *affectivam* vocant scholastici, quæ non minus habet amoris quam fidei; quæ vera et integra est sapientia.” Ideo autem universam pietatem *cognitionis* solius nomine
44 comprehendere solet Scriptura, tum quod sine solida Dei divinæque voluntatis cognitione nemo vere pius esse possit; tum imprimis quod cognitio ista ad pietatem magno sit et adjumento et incitamento: quæ ratio fidei multo magis convenit.

3. Atque hæc sola ratio etsi sufficere potuisset, cum tamen mecum cogitem, quam frequens sit apud Paulum metonymia ista, ac scopum Paulinæ disputationis accuratius perspiciam, apostolum ulterius respexisse facile crediderim. Sentio itaque causam, cur Paulus in descriptione conditionis, quæ ex parte nostri ad salutem requiritur, nomine *fidei*, tam libenter uti soleat, duplicem potissimum esse. Prima est, ut istius conditionis exprimatur facilitas; quippe facile est credere id ad quod fides hæc respicit, et ex quo pietas, quæ hoc nomine comprehenditur, pene

necessario nascitur; nempe hominem mortalem ex mortuis resurgere posse, et in cœlum ascendere, imo etiam reipsa resurrecturum, atque in beatas sedes migraturum esse, si Deo paruerit: id enim Christi ex mortuis resurrectione, atque in cœlos ascensione, (quarum rerum fides apertissimis documentis nobis est facta,) manifeste fuit comprobatum. Hoc vero si credatur firmiter, (adde, et serio expendatur,) pietatem illam, quam Deus a nobis postulat, pene, si non prorsus, necessario in nobis efficit, ut inter alia docet nobilis ille Johannis locus 1 Epist. iii. 3. *Et quisquis habet hanc spem in eo, purificat se, sicut ille purus est.* Et hæc quidem causa, cui *fidei* nomine conditio nobis a Deo imposita exprimi soleat, intelligi fortasse potest ex cap. x. ad Rom. ver. 6. et seq. ubi apostolus, ostendere volens facilitatem justificationis evangelicæ præ justificatione legali, postquam dixisset ver. 5. *Moses enim scribit justitiam quæ est in lege, quod qui fecerit ea, in iis vivet,* statim subjungit, *Illa vero quæ ex fide est justitia, ita dicit; Ne dicas in corde tuo, &c. Sed quid dicit? Prope te verbum est in ore tuo, et in corde tuo, &c.* quasi dicat, Justitia quidem illa, quæ in lege est, præscribit multa et gravia præcepta, sed nulla continet vitæ æternæ promissa, quibus ad ea præstanda quis animetur; tantum dicit, *Si hæc feceris, vives,* h. e. longævus eris, vitam ages hic diuturnam ac felicem; de vita æterna ne γρὸν quidem dicit. At justitia fidei longe facilior est; quippe quæ tum præcepta ejusmodi tantum contineat, quæ sua ipsorum honestate nobis commendantur; tum imprimis ad præcepta illa præstanda maximis certissimisque promissis nos exstimulet. Fundamentum ac radix hujus evangelicæ justitiæ, atque ex qua pullulare apta nata

est, nihil aliud est quam fides ejusmodi, qua firmiter credas, hominem posse ascendere in cœlum, et ubi in abyssum descenderit, inde posse reverti. Atqui id Christi in cœlum ascensione, ejusque morte, et ex ea resuscitatione adeo manifeste est demonstratum, ut si quis negare velit, perinde faciat, ac si Christum e cœlis vellet deducere, et negare vel ipsum esse mortuum, vel ex mortuis rediisse. Sed id ita manifestum est, ut Deus hoc veluti animis nostris et cordibus inseruisse videatur, ut id credamus, et in ore nostro posuisse, ut id fateamur. Quare cum ea tam siut manifesta, ex quibus evidenter pendet veritas eorum ad quæ fides nostra primo respicit, et ex quibus pietas pene necessario nascitur, ut facillimum sit ea credere; sequitur, etiam ipsam nostram fidem ac pietatem esse facilem: cum enim facile est id, unde alia quodammodo pendent, etiam cætera omnia sunt facilia. Certe hæc loci hujus interpretatio, meo quidem judicio, aliis omnibus præferenda videtur, ut maxime facilis, expedita, ac Pauli ibidem scopo conveniens. Huic porro loco lucem non exiguam affert alter ille sancti Johannis, 1 Epist. v. 3, 4, 5. *Hæc est enim charitas Dei, ut præcepta ejus observemus; et præcepta ejus gravia non sunt. Quoniam quidquid natum est ex Deo, vincit mundum; et hæc est victoria nostra quæ vincit mundum, nempe fides nostra. Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit Jesum esse Filium Dei?* quibus verbis ostendit apostolus tum facilitatem præceptorum evangelicorum, tum facilitatem eam fide illa niti, qua Jesum credimus esse Filium Dei, et, quod inde sequitur, promissa ejus in evangelio data certissima esse; breviter, facilitatem præceptorum ex certitudine promissorum Christi eorumque fide oriri: quasi dicat, Præcepta

Christi in se quidem gravissima videri possunt, et humanæ infirmitatis modulum excedentia ; (ea præsertim quæ abnegationem nostri, et crucis tolerantiam postulant ;) sed promissa etiam ejus maxima et certissima si respicias, evanescit statim difficultatis species ; apparet illico, præcepta ista præstatu esse facillima : etsi enim certamen nobis sit cum mundo, i. e. cum illecebris, pravis exemplis, periculis, et malis e mundo ingruentibus, quæ a præscripta in evangelio semita avocare nos apta nata sunt ; si tamen excellentissima illa promissa, vincentibus facta, firma ac vivida fide amplectimur, paratam ac facilem habemus de mundo victoriam. Atque hæc de facilitate, quæ prima potest esse causa, cur *fidei* nomine in hoc negotio utatur Paulus.

4. Secundo, sequitur altera ejus rei causa, quæ est, ut hoc nomine obedientiæ istius, quæ a nobis 45 in evangelio exigitur, meritum excludatur. Etenim *fidei* vocabulum primo quasi conceptu suo gratiam sonat, meritumque prorsus omne excludit ; idque triplici ratione. 1^o. Quia supponit revelationem et vocationem a parte Dei, ex mera gratia prius homini concessam, quam homo obedientiam Deo præstet ; adeoque hominem non præstitisse eam obedientiam, quæ *fidei* nomine exprimitur, sua sponte, vel proprio ingenio ac studio ; sed Deum ex mera et mira sua bonitate hominem antevertisse, voluntatem suam modo extraordinario ipsi revelandoⁱ : scil. nemo unquam a jactis mundi fundamentis viam salutis ingressus est, nisi Deo duce ac monstratore, hoc est, per fidem. Atque hæc insignis est differentia inter

ⁱ Ἀνθρώπων δὲ οὐδεὶς οὐτε εἶδεν, οὐτε ἐγνώρισεν· αὐτὸς δὲ ἑαυτὸν ἐπέδειξεν· ἐπέδειξε δὲ διὰ πίστεως· ἢ μόνῃ Θεὸν ἰδεῖν συγκεχώρηται. Justin. Epist. ad Diog. [c. VIII. p. 238.]

naturæ justitiam et *fidei*. Hanc præstat homo gratiosa Dei revelatione ac vocatione præventus atque excitatus, adeoque Deo auctori acceptam referre debet; ejusmodi fuisse Abrahami, de quo tantopere gloriabantur Judæi, obedientiam multis contendit apostolus, quemadmodum postea suo loco monstrabitur. Istam vero qui præstat justitiam, *αὐτοδίδακτος*, *a seipso edoctus*, ac proprio Marte, nullo magistro ac monstratore efficit, ac proinde laus ejus (si laude digna sit) in hominem ipsum redundare videtur. Hoc est, quod voluit apostolus, quoties *opera* opponit *vocationi divinæ*, ut Rom. ix. 11. 2 Tim. i. 9. et vir apostolicus, Clemens Romanus, cum in Epistola ad Corinthios nos omnes, qui ex beneplacito Dei per Christum vocati sumus, servari dicit, οὐ διὰ τῆς ἡμετέρας σοφίας ἢ συνέσεως, ἀλλὰ διὰ πίστεως, δι' ἣν πάντας τοὺς ἀπ' αἰῶνος ὁ παντοκράτωρ Θεὸς ἐδικαίωσε: quod Clementis testimonium postea commodiore loco^k integrum dabimus. Gratia autem hujus divinæ vocationis multo illustrior fuit in iis hominibus, (ad quos Paulus suas scripsit Epistolas,) quibus evangelium apostolorum ore, Deo ipsis per stupenda miracula testimonium præbente, annuntiatum fuit. 2^o. Vocabulum *fidei*, quo evangelica obedientia exprimitur, ideo meritum excludit, quod supponit non modo revelationem divinam, sed etiam talia promissa, a Deo revelante facta, quæ hominem sua vi atque efficacia ad obedientiam istam fortiter exstimulent; quæque adeo omnem istam obedientiam, quæ ex eorum fide suscipitur, longe exsuperent. Cum itaque pietatem, quam Deo præstamus, *fidei* nomine exprimimus, ideo nempe quia ex fide ea promanet, eo ipso significamus, eo-

^k [XII. 27.]

rum, quæ fide apprehendimus, h. e. promissorum tantam vim fuisse, ut eam in nobis propter præstantiam suam et certitudinem parerent; adeoque pietatem istam Deo tanquam primo ac potissimo auctori, a cujus benignitate ea promissa sint profecta, vel hoc etiam nomine esse adscribendam. Huic certe rationi non parum roboris accrescit ex loco illo nobili 2 Pet. i. 4. Δι' ὧν τὰ μέγιστα ἡμῖν καὶ τίμια ἐπαγγέλματα δεδωρηται, ἵνα διὰ τούτων γένησθε θείας κοινωνοὶ φύσεως, ἀποφυγόντες τῆς ἐν κόσμῳ ἐν ἐπιθυμίᾳ φθορᾶς. Hic *θεία φύσις*, h. e. eximia illa sanctitas qua Dei quodammodo similes efficimur, et quæ a mundi sordibus atque inquinamenti nos liberat, accepta refertur *τοῖς μεγίστοις καὶ τιμίσις ἐπαγγέλμασι*, *maximis illis ac pretiosis promissis*, quæ ex immensa Dei bonitate nobis in Christo donantur; ideo scil. quod fide horum promissorum divina hæc pietas in nobis efficiatur. Huc etiam pertinent loca illa, in quibus regeneratio nostra et cœlestis nativitas verbo evangelii fieri dicitur, 1 Pet. i. 23. coll. cum ver. 25. Jac. i. 18. et alibi; his enim in locis per *verbum* promissa præsertim in verbo contenta ut intelligamus, consentaneum est. Denique huc vel imprimis referenda est illa Petri *δοξολογία* et *εὐχαριστία* magnificentissima, 1 Pet. i. 3. *Benedictus esto Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi; qui ex multa sua misericordia regenuit nos in spem vividam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis*; ubi resurrectio Jesu Christi, prout ejus fides certissimis documentis est facta, medium statuitur, quo a Deo renati sumus *εἰς ἐλπίδα ζώσαν*, h. e. (ut ego quidem existimo) in *spem* illam *vividam*, quæ purificationem, de qua loquitur S. Johannes, post se trahere soleat; ac propterea tota salutis nostræ gloria et honos Deo ac Patri Domini nostri

Jesu Christi, atque effusissimæ ejus misericordiæ, qui ejus fidei argumenta nobis tam evidentia suppeditaverit, a Petro in solidum tribuitur. Inter promissa autem evangelica maxime eminent Spiritus Sancti promissum, quod fide apprehensum cætera omnia promissa reddit efficacia, eamque in nobis justitiam operatur, quam a nobis evangelium postulat; vide Gal. iii. 14. Atque hac ratione obedientia fidei significat ejusmodi obedientiam, quam homo præstat fretus gratia atque auxilio Spiritus divini, h. e. Spiritus Christi, atque opponitur justitiæ isti, quæ ab homine in statu sive legis, sive meræ naturæ, sine inspiratione divina, propriis viribus efficitur.

5. 3^o. Denique vocabulum *fidei* meritum excludit et hac ratione, quod fides, quatenus ad promissionem gratuitam refertur, *μισθαποδοσίαν* expectat ex sola gratia Dei promittentis. Atque hæc (ni fallor) præcipua causa est, quamobrem Spiritus Sanctus universam, quæ a nobis in evangelio postulatur, obedientiam *fidei* nomine soleat exprimere, nempe, ut voce ista indicetur, obedientiam, quam nos Deo præstamus, non impetrare justitiam sive salutem *sua vi aut merito*, sed *vi pacti* seu *promissionis gratitæ*, quæ fide apprehenditur. Hoc est, quod indicare videtur S. Paulus, cum *legem* opponit *promissioni*, Gal. iii. 18. *Εἰ γὰρ ἐκ νόμου ἡ κληρονομία, οὐκ ἔτι ἐξ ἐπαγγελίας· τῷ δὲ Ἀβραὰμ δι' ἐπαγγελίας κεχάρισται ὁ Θεός.* i. e. *Nam si ex lege est hæreditas* (nempe *vitæ æternæ*) *non jam est ex promissione: atqui Abrahamo per promissionem gratificatus est Deus hæreditatem.* Quibus verbis (ut recte notavit Beza) tacite occurritur responsioni Judæorum ad illud quod apostolus versu præcedente dixerat; nempe,

Promissionem, quæ Abrahamo quadringentis et triginta ante latam legem annis facta est, non potuisse per legem istam abrogari. Dicere enim poterant Judæi, Fatemur promissionem non abrogari legis pacto, ideoque legem cum promissione conjungimus: imo, inquit Paulus, stare hæc duo simul non possunt: nempe, ut hæreditas ex lege simul et promissione detur; cum justitia legis (loquitur κατ' ἄνθρωπον, ver. 15.) meritum inducat et gratiam excludat, adeoque gratuitæ promissioni repugnet, nempe, si lex justificandi causa data fuisset. Notanda est ἔμφασις in voce κεχάρισται, quæ a χάρις deducitur, adeoque a Beza recte vertitur, *gratificatus est*. Confer Rom. iv. 13, 14, 15. Quia vero promissio vitæ æternæ, in evangelio facta, in meritoria Jesu Christi satisfactione fundata est, ac sanguine ipsius pretiosissimo sancita, ideo fidei obedientia perpetuo respicit ad Christum, tanquam ad unicum propitiatorem¹; cujus tam in vita quam in morte perfectissima obedientia sola effecerit, ut imperfecta et languida nostra obedientia Deo ad salutem placeat, vitæque æternæ præmium reportet. Recte igitur Melanchthon in locis præcipuis theologicis de voce fidei^m, “ Cum dicimus, Fide justificamur, monstramus Filium Dei “ sedentem ad dextram Patris, interpellantem pro “ nobis; propter hunc dicimus nobis donari reconciliationem, detrahimus meritum reconciliationis “ nostris virtutibus, quæcumque assunt.” Atque hac ratione evangelica obedientia, *fidei* nomine expressa, eam obedientiam eaque opera omnia excludit, quæ gratuitæ promissioni fiduciaque in Christo Mediatore repugnant, hoc est, quæ cum fiducia et opinione

¹ Vid. Rom. iii. 24, 25.

^m Corp. Theol. p. 424.

meriti nostri fiunt. Sed hæc omnia pleniorẽ lucẽ accipient ex iis, quæ postea dicturi sumus, cum ad analysin Paulinæ disputationis ventum fuerit. Hæc interim de sensu vocis *fidei* apud Paulum dixisse sufficiat.

ANNOTATA J. E. GRABE

AD CAP. V.

AD SECT. 4. ET SEQ.

Etenim fidei vocabulum primo quasi conceptu suo gratiam sonat.] Clara sunt hanc in rem ipsius apostoli verba, merito annotanda, Rom. iv. 16. *Διὰ τοῦτο ἐκ πίστεως, ἵνα κατὰ χάριω* Ideo ex fide, ut secundum gratiam. Notatu quoque digna ad illustrandam tertiam reverendi auctoris nostri rationem sect. 5. traditam verba Cardinalis Toleti, in cap. iii. ad Roman. Annot. 17. “ In fide magis manifestatur, homi-
“ nem non propria virtute, sed Christi merito justificari.
“ Sicut enim in aspectu in serpentem Deus posuit sanita-
“ tem in deserto, quia aspectus magis indicabat sanari ho-
“ mines virtute serpentis, non operis alicujus proprii aut
“ medicinæ alicujus; ita fides ostendit, justificari pecca-
“ tores virtute et merito Christi, in quem credentes salvi
“ fiunt, non propria aliqua ipsorum virtute et merito. Ea
“ causa est, cur fidei tribuatur justificatio maxime a Paulo,
“ qui a justificatione legis opera et humanum meritum
“ aut efficaciam excludere, et in sola Christi virtute et
“ merito collocare nitentur; idcirco meminit fidei in Chri-
“ stuni. Hoc nec pœnitentia, nec dilectio, nec spes ha-
“ bent; fides enim immediatius et distinctius in eum
“ fertur, cujus virtute justificamur.” Recte vero monet in
sequentibus, S. Paulum posita fide non exclusisse reliquas
dispositiones, seu actus præparatorios ad justificationem,
de quibus Dissert. I. cap. 2. satis dictum est.

CAP. VI.

47

Quid per opera intelligat Paulus. Ex præcedentibus colligitur, ipsum de operibus loqui non quibuscunque, sed certi cujusdam generis; nempe de operibus legis Mosaicæ. Idque ex scopo Paulinæ disputationis in Epistola tum ad Romanos, tum ad Galatas evincitur. Legem dein Mosaicam ita oppugnat Paulus, ut etiam dogmata Judæorum ipsi addita perstringat. Denique quia etiam cum gentium philosophis ipsi res erat, contra opera quoque legis naturalis, h. e. ex meris naturæ viribus profecta, obiter et quasi aliud agendo disputat.

1. ALTERA ambiguitas apud Paulum in voce *operum*, ut diximusⁿ, latet. Et sequitur quidem illud ex eo, quod modo^o posuimus; nempe, *fidem* in Paulinis Epistolis universa Christianæ pietatis opera complecti. Hoc enim posito, manifestum fit, opera, quæ Paulus a justificatione excludit, non qualiacunque, sed certi alicujus generis esse. Cujusmodi autem ea sint, distincte exponere, non minimi fortasse negotii res est; imo hic labor, hoc opus est: ad ipsum difficultatis apicem jam perventum est.

2. Quo itaque feliciter hunc nodum expediamus, illud imprimis diligenter inquirendum, Quis sit apostoli scopus in suis contra opera disputationibus. De scopo autem illo optima judicandi ratio est, ut qui fuerint adversarii, quibuscum hanc litem habuerit Paulus, accurate notemus. Optime enim Isidorus Clarius in Rom. iii. 20. “ Si cogitemus, quæ versa-
“ retur eo tempore inter eos controversia, non erit
“ admodum difficile scopum assequi hujus Epistolæ.
“ At sine hac consideratione luditur opera.”

3. Rem totam sic paucis accipe: Evangelium

ⁿ [IV. 3.]^o [IV. 4.]

Jesu Christi, a prima ipsius ad Judæos prædicatione, gravi hoc præjudicio ab iis oneratum fuit, quod scil. religioni et legi, quam a Deo ipso, mediatore Mose, miraculis multis magnisque confirmatam acceperant, e diametro fere repugnaret. Huic calumniæ (talis enim revera erat) se opponit, ac legem suam luculenter defendit Christus ipse in celebri, quam ad discipulos habuit, concione Matt. v. 17. aperte professus, *Se non venisse νόμον καταλῦσαι, ut legem destrueret, sed πληρῶσαι ut eam perficeret.* Quippe illa, quæ in lege sunt (ut Justinus^p loquitur) φύσει καλὰ, καὶ εὐσεβῆ, καὶ δίκαια, perfecit Christus, explicando ea clarius, quam ante unquam explicata fuerant, et præceptis quibusdam exactioribus muniendo, et in eorum obsequium animos redigendo promissorum magnitudine et certitudine, Spiritusque sui obsignatione. Ritus autem implevit Christus et consummavit, id exhibendo, cujus causa erant reperi, quodque ritus ipsi figurabant. Delevit autem eosdem eo ipso implemento ac consummatione; non tam tollendo legis vinculum, quam causam subtrahendo, propter quam lex ea nata erat, et cui morienti ex primævo decreto erat commoritura.

4. Hæc tamen Judæi noluerunt intelligere, sed Dei finem ac propositum in danda lege nescientes, eamque sempiternam fore somniantes, doctrinæ longe melioris revelatione contemptui habita, mortuis, imo jam pene mortiferis suis ceremoniis mordicus adhæserunt. Nimirum ita secum ipsis statuebant, legem, qua jam tum fruebantur, indubitato divinam fuisse atque ab ipso Deo profectam; idque documentis omni exceptione majoribus demonstratum; summæ

p [Dial. cum Tryph. 45. p. 141.] Vid. Grot. in Matt. v. 17.

itaque imprudentiæ atque adeo impietatis rem fore, cum lege nova, diversa, nedum contraria, qualiscunque tandem ea esset, aut quocunque prætextu incrustata, ipsam commutare. Hac animi persuasione præmuniti, etiam qui inter Judæos erant melioris luti, contra Christi miracula, in iis licet Dei ipsius digitus satis conspicuus esset, animum plane obfirmarunt; iisque, tanquam tentationibus a Deo iis ad probandam ipsorum in lege sua constantiam immisissis, repugnarunt. Cæteri, pro suo quisque ingenio, facile prætextus invenerunt, quibus eadem miracula rejicere jure viderentur.

5. Hoc certe præjudicium quamplurimos inter Judæos ab evangelio Christi amplectendo retinebat. Neque id solum; sed etiam qui ex iis miraculorum Christi evidentia convicti evangelio ipsius crediderunt, tanta tamen legis Mosaicæ reverentia tenebantur, tanto rituum patriorum amore, ut vix ac ne vix quidem ab iis se divelli paterentur. Unde factum fuit, ut a nonnullis, etiam postquam sua Christo nomina dederunt, lex adhuc Mosaica retenta fuerit. Nimirum neque ut evangelium Christi tot tantisque miraculis confirmatum respuerent, neque (ex altera parte) ut a lege Mosaica, quam a Deo esse plane ac plene persuasi erant, desciscerent, animum ullo modo suum potuerunt inducere. In hoc bivio diu hærentes tandem huc devenerunt, ut utramque legem, tum Mosaicam tum Christi, conjungendas decernerent: simili plane nexu, quo Mezentius apud Virgilium vivis hominibus cadavera putida ligasse fingitur.

6. Atque eventu prorsus infelici: huic enim zeli Judaizantium Christianorum flammæ oleum addere non desierunt pessimi quidam doctores, qui, licet et

ipsi Christianismum profiterentur, rebus tamen in ecclesia turbandis invigilabant, et nec legem Mosaicam neque Christi alias curabant, quam ut ex utraque quæstum suum facerent: donec tandem eo furoris deventum esset, ut lex Mosaica non tantum Judæis fidelibus, sed et gentibus ad fidem Christi conversis ad salutem observatu plane necessaria statureretur. Id miras in ecclesiis conversarum gentium turbas excitavit, adeo ut sacrum ab apostolis concilium hac ipsa de re Hierosolymis celebraretur; in quo tandem lis a parte gentium deceditur, atque iis exoptatissima a ritibus Mosaicis manumissio auctoritate apostolica decernitur. Ex hoc saluberrimo decreto fluxerunt pax, consolatio, atque in fide Christi confirmatio, non tantum ad ecclesias illas, in quibus hos motus primum ac præcipue excitarunt infelicissimi doctores; sed et pari gaudio perfusæ erant, quotquot essent gentium ecclesiæ, quibus a Judæis Christianis eadem molestia crearetur. Verbo dicam, hoc Mosaici jugi terculamento sublato, quæ prius ab evangelio tali onere impedito abhorruerunt, jam tum ad fidem Christi turmatim confluxerunt gentes. Itaque ecclesiæ confirmabantur fide, et exuberabant numero quotidie, Act. xvi. 4, 5.

7. Ast (proh dolor) non diu permansit florentissimus hic ecclesiarum gentilium status. Etenim non multum temporis effluxit, ex quo pessimi isti operatores, canes isti circumcisionis (hoc nomine ab apostolo jure merito nuncupati, Phil. iii. 2.) denuo surrexerunt, atque in alta pace securas in caula Christi oves misere ac ferociori jam crudelitate deprædati fuerunt. Ita factus est ultimus ecclesiarum gentilium status priori deterior. Etenim jam pene totum Christianismum corruperat hoc Judaicum fermen-

tum⁴. Ubique ferme inter gentes reviviscunt prius mortuæ et tantum non sepultæ ceremoniæ. Duæ erant imprimis ecclesiæ, ut videtur, ubi maxime prævaluerunt isti legis doctores, Romanorum sc. ac Galatensium. Quarum in posteriori ita fere universa pessum dederant pacis ecclesiasticæ turbatores, ut mitissimo apostolo hoc votum extorserint, *Utinam etiam abscindantur, qui vos inquietant*, Gal. v. 12.

8. In hos igitur Christianismi inter gentes corruptores, zelo Dei accensus insurgit magnus gentium apostolus. Atque ut perniciosam eorum doctrinam radicitus evelleret, et omnem iis in posterum de lege gloriandi ansam præscinderet, (simulque Judæos, adhuc a fide Christi prorsus alienos, et in lege spem salutis suæ unicam collocantes, vel ad veritatem pertraheret, vel os saltem iis occluderet,) de toto atque integro fœdere Mosaico disputationem, quasi ex professo, instituit, ejus originem, naturam, finem denique et usum late aperiens; multisque argumentis in utraque, tum ad Romanos tum ad Galatas, Epistola confirmans, Dei propositum nequaquam fuisse, ut lex ista pro fœdere vitæ ac salutis æternæ haberetur; per ipsam neminem unquam ad veram justificationem pervenisse, neminem posthac perventurum. Quibus sic explicatis, nemo est, (ut opinor,) qui non videat, opera, quæ oppugnat Paulus, imprimis de operibus in lege Mosaica præscriptis intelligenda esse; quod etiam ab ipso apostolo nonnunquam exprimitur; nempe, ubicunque fere non ἔργα simpliciter, sed ἔργα νόμου nominat.

9. Illud porro apprime notandum, apostolum ita legis Mosaicæ opera oppugnare, ut simul etiam eademque opera, quas legi assuerunt inter Judæos

⁴ Gal. v. 9.

Scribæ et Pharisei, corruptissimas sententias rejiciat. Nimirum lex Mosaica, ex se satis imperfecta, horum doctorum glossis vanisque interpretamentis diluta, multo adhuc imperfectior evaserat, quamque habuerat vim, eam fere totam amiserat. Tot distinctionibus, tot dispensationibus præcepta Dei enervarunt, ut jam legem in lege frustra quæsivisses, atque eo deventum esset, ut religio populi Dei, divinisque oraculis instructi, pene infra paganismum meliorisque philosophiæ rudimenta subsisteret. Erat jam tempus, ut manum suam exereret Jehova, cum
 49 ita plane irritam fecissent homines legem suam, Psal. cxix. 126. Idque per Christum fecit, qui in sua ad discipulos concione, Matt. v, &c. hisce Phariseorum dogmatis se opponit, suosque ita serio monet ver. 20. *Nisi abundaverit vestra justitia plus quam illa Scribarum et Phariseorum, nequaquam ingressuri estis in regnum cælorum.* Legis peritos (ut bene monet Grotius^r) Christus nominat, ut Judæorum eruditissimos; Phariseos, ut peculiaris sanctioniæ fama nobiles, et quorum secta erat in Judaismo ἀκριβεστᾶτη, Act. xxvi. 5. eoque ostendit, miserum tunc temporis ac plane deploratum fuisse ecclesiæ Judaicæ statum, quod in ipsa lege sua interpretanda primarii eorum doctores et ductores tam fœde turpiterque erraverint. Neque vero simile est, Phariseorum doctrinam jam Pauli ætate meliorem factam fuisse. Steterunt procul dubio vanis hisce commentis pervicasissima recutitorum gens, iisque mordicus adhæserunt. Idque, si non aliunde pateret, vel ipsius Pauli exemplo satis manifestum fit; utpote qui ante conversionem suam (ut de se ipso

^r In locum.

testatur, Gal. i. 14.) fuit περισσοτέρως ζηλωτῆς τῶν πατρικῶν παραδόσεων. Erat ergo justitia, quam ex lege quærebant Judæi, non tam legis, quam sua: non ea, quam Deus ab ipsis postulavit, sed quam sibi ipsis stulte imaginati sunt, suoque ipsorum cerebello pro-cuderunt; eoque etiam nomine a Paulo merito vocatur ἰδία αὐτῶν δικαιοσύνη, opposite ad δικαιοσύνην Θεοῦ, Rom. x. 3.

10. Denique quia apostolo non tantum cum synagogæ magistris, sed etiam cum gentium philosophis res erat, opera etiam ad normam legis naturalis directa atque ex viribus meræ naturæ profecta exagitat, eaque ad salutem nihil quicquam valere affirmat. Illud vero demonstrando (cum justitiæ suæ non adeo confiderent gentes) haud multum laborat apostolus; obiter tantum, et paucis, et quasi aliud agendo, perstringere contentus.

Est hæc Paulinæ disputationis summa; ad hanc normam, quæcunque contra operum justitiam, tum in Epistolis ad Romanos et Galatas, tum alibi, ab ipso dicta occurrunt, exigenda sunt.

CAP. VII.

Argumenta, quibus ipsam Mosis legem a justificatione rejicit Paulus, enucleantur. Disputatio apostoli etiam ad præcepta legis quæ vocantur moralia pertingit; at non simpliciter considerata, sed eatenus tantum, quatenus pars erant conditionis in fœdere Mosaico præscriptæ. Hinc argumenta duplicis generis; vel quæ ad totam legem pertinent, vel quæ partem ejus tantum rituales respiciunt. Argumentum primum universam Mosis legem æque respiciens, a defectu gratiæ condonantis sive remissionis peccatorum. An lex

Mosis sub ulla consideratione lex obedientiæ usquequaque perfectæ dici potuerit? et an hoc fundamento argumentatio apostoli, Rom. iii. 20. et Gal. iii. 10. nitatur? Pars questionis negativa argumentis adstruitur. Argumentis contrariæ partis respondetur.

1. VERUM enimvero non satis esse duximus, scopum et propositum S. Pauli in disputatione de operibus, qualiaque opera intelligat, generatim indicasse; distinctius hic omnino ac particularius agendum. Cum enim tum opera legis Mosaicæ, tum dogmata Judaica isti addita, non omnia ejusdem generis fuerint; operæ pretium erit, ut quæ opera, quæ Judæorum dogmata, quibusque rationibus utraque ab apostolo oppugnentur, enucleatius explicetur.

2. Ad legem ipsam quod attinet, ex duabus maxime partibus eâ constat, moralibus sc. ac ritualibus præceptis; utraque procul dubio respexit Paulus. De præceptis enim legis Mosaicæ etiam quæ moralia sunt (quicquid contradicant nonnulli) Paulum agere, nimis manifestum est ex ipsius verbis, Rom. iii. 20. *Propterea ex operibus legis nulla caro in conspectu ejus justificabitur; per legem enim est cognitio peccati*: unde colligi potest, legem, cujus opera excludit Paulus, eam esse, per quam sit cognitio
50 peccati: quod de lege morali in Decalogo scripta dici extra controversiam est. Sic enim se ipse apostolus exponit, Rom. vii. 7. citans illud ex Decalogo, *Non concupisces*: quin et in ipso capite fere per totum de lege imprimis morali aperte agit. Sic quod cap. iii. 31. ejusdem Epistolæ dicit, *Legem ergo destruimus per fidem? Absit; sed legem statuimus*, minus commode intelligas de lege ceremoniali, quæ per fidem Christi statui vix dici possit. Illud quoque capitis sequentis, ver. 15. *Lex enim iram operatur*:

ubi enim non est lex, nec prævaricatio, de lege morali præcipue veritatem habet. Nam prævaricationes pleræque omnes sunt contra legem moralem. Ad opera igitur etiam legis moralis procul dubio pertinet apostoli disputatio.

3. Interea tamen et illud addendum, æque clarum esse, opera legis moralis a Paulo non simpliciter a justificatione secludi; sed eatenus tantum, quatenus in fœdere Mosaico præscripta erant, ac pars conditionis isti fœderi annexæ fierent: verbo dicam, quatenus a gratia evangelii sejuncta considerari poterant^s. Doctissimus Estius^t nodo huic solvendo hanc adhibet distinctionem; “Notandum est,” inquit, “opus legis bifariam sumi; vel pro opere quod lex præscribit, quale opus vere bonum est; de quo cap. ii. 13. *Factores legis justificabuntur*; vel pro opere quod fit ex lege, id est, ex sola legis cognitione, et non ex fide. Quo posteriori modo loquitur hic Paulus de operibus legis, ea nimirum intelligens, quæ quis facit sola lege adjutus. Cujusmodi erant quæ faciebant et adhuc faciunt Judæi, non existimantes gratiam Redemptoris ad juste vivendum sibi esse necessariam. Qualiacunque enim ea sint, ad veram justitiam nihil conducunt; hoc quippe est, ex operibus legis neminem justificari coram Deo.” Et verissimum quidem est, per opera legis intelligere plerumque apostolum opera vi legis facta, eademque imprimis opera a justificatione secludere: interim æque certum est, ex operibus legis moralis, etiamsi recte fiant, imo ad amussim

^s Confer de his Examen Censuræ, Respons. ad Animadvers. XX. 1. et Apol. contra Tullium, VIII. 6. GRABE.

^t In Rom. iii. 20.

legis exacta sint, ad veram justificationem neminem posse pervenire per fœdus Mosaicum; quippe quod veram justificationem, h. e. cum æternæ vitæ donatione conjunctam, nullam præstet. Ingens illud beneficium ex solo gratiæ fœdere, Mediatoris sanguine sancito, proficiscitur. Adeoque si fœdus Mosaicum respicias, etiam opera legis moralis a justificatione omnino excludenda sunt, atque ab apostolo revera excluduntur. Sed fusius hæc demonstrabimus, cum ad argumenta apostoli deveniemus, cujus integram de operibus disputationem (quo sensus ejus luculentior appareat) prolixè ac membratim explicare decrevimus.

4. Argumenta igitur, quibus ipsam legem oppugnat Paulus, in duas classes dispertiri possunt: altera eorum erit, quæ ad totum atque integrum fœdus Mosaicum pertingunt; eorum altera, quæ legem ceremoniam imprimis respiciunt. Ac prioris quidem generis duo sunt maxime argumenta, quibus pugnat apostolus, a duplici fœderis Mosaici defectu desumpta; a defectu sc. gratiæ, tum condonantis, tum adjuvantis.

5. Primum apostoli argumentum, integrum fœdus Mosaicum respiciens, deducitur a defectu, quo fœdus illud laboravit, gratiæ condonantis, sive remissionis peccatorum. Ubi apostolus ostendit tam Judæorum quam gentilium universalem reatum, omnesque ac singulos iis teneri peccatis, quorum venia nulla sive remissio, vera quidem ac perfecta, in lege ista speranda esset. Hunc esse Pauli scopum in cap. iii. Epist. ad Roman. clarum est; ibi enim post longum peccatorum, cum Judæis tum gentibus in lege intentatorum, descriptum catalogum ver. 10. et deinceps, tandem ver. 20. hanc conclusionem infert;

Propterea ex operibus legis nulla caro justificabitur in conspectu ejus, sc. Dei. Eodem etiam referenda sunt, quæ apostolus disputat in Epist. ad Galat. cap. iii. ubi hac etiam ratione probat, omnes, qui sub lege sunt, maledictioni esse subjectos, quia scriptum est, Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ in libro legis scripta sunt, ut ea faciat, ver. 10.

6. Verum hic in ipso limine sentio me in gravissimam difficultatem dilapsam. Quæritur enim, An hæc apostoli argumentatio eo fundamento nitatur, quod statuatur, legem Mosaicam, quatenus ea Judæis data erat, fuisse legem obedientiæ usquequaque perfectæ atque omnibus numeris absolutæ, ac proinde præstatu impossibilem? atque an hac ratione apostolus concludat, homines omnes ex lege ista peccatores, et per ac propter peccata sua mortis ac maledictionis æternæ reos esse, adeoque neminem per eandem legem justificari posse? Ita quidem sentiunt plerique, affirmantes, legem Mosis omnes eos, ad quos pertinebat, (si non absolute, sub conditione tamen, viz. nisi ad fœdus evangelicæ gratiæ confugerent,) obligasse, idque sub periculo æternæ mortis, ad absolutissimam obedientiam, hoc est, talem, quæ omnem et omnimodam in supremo gradu ἀναμαρτυρίαν complectitur, etiam eam quæ perpetua est, et omnem imperfectionem, infirmitatem, inadvertentiam excludit per omnem vitam. Sed horum sententiæ ut subscribam, persuaderi non possum, ob rationes, quas mox redditurus sum. Interim, ad totius hujus controversiæ statum rectius percipiendum, illud imprimis accuratissime tenendum est, hæc duo, “aliquem a Deo indignum haberi, qui justitiæ atque æternæ vitæ præmiū reportet; et dignum ali-

“quem a Deo judicari, qui æternæ mortis supplicio “plectatur,” δὲ διὰ πᾶσων differre. Ad prius illud, scil. ut quis indignus a Deo habeatur, qui æternæ vitæ præmium reportet, sufficit, quod omnimoda ista, quam modo descripsi, ἀναμαρτησίᾳ careat. Potest enim Deus, idque jure merito, homini ob minimam imperfectionem æternæ vitæ præmium denegare. Imo potest Deus, si velit, absolutissimæ etiam obedientiæ, si omnino actu illa in homine aliquo reperiretur, immensum illud vitæ æternæ bonum detrachere, utpote quod donum Dei mere gratuitum sit, neque ullis ullius creaturæ meritis deberi possit. Ad posterius illud, nempe, ut quis æternæ mortis supplicio dignus a Deo judicetur, requiritur omnino ut eam obedientiam non præstiterit, quam præstare potuit: unde sequitur, neminem ob defectum absolutissimæ justitiæ reum æternæ mortis, hoc est, cruciatuum ac pœnarum, quæ post hanc vitam manent, jure merito agi posse, cum talis justitia homini simpliciter in hac vita impossibilis sit. Manifestum autem est, apostolum in disputatione, de qua agitur, probare voluisse, tam Judæos quam gentes indiscriminatim, ob non præstitam legis justitiam, non modo æternæ vitæ præmio indignos, sed et ὑποδίκους τῷ Θεῷ, iræ divinæ ac morti æternæ obnoxios fuisse, idque ita ἵνα πᾶν στόμα φραγῆ *ut omnibus os obstrueretur*, Rom. iii. 19, hoc est, ut tam gentes quam Judæi essent ἀναπολόγητοι, ut supra i. 20. et ii. 1^u: “Quid autem,” ut Episcopi^x hic verbis utar, “magis absimile a vero, quam apostolum

^u Præ aliis vero locis id probat ver. 10. eap. iii. ad Gal. ubi apostolus ait, eos qui ex operibus legis sunt, ὑπὸ κατάραν εἶναι, *sub maledicto esse*. GRABE.

^x Resp. ad 64. quæst. quæst. 20.

“ reos voluisse agere homines mortis ac condemna-
“ tionis, id est, justissimæ pœnæ, ob violatam aut
“ non servatam legem, quam non violare aut servare
“ iis impossibile prorsus esse judicasset? Neque cre-
“ dibile est, quenquam adversariorum Pauli fuisse,
“ qui non ultro largiturus fuisset Paulo, neminem
“ hominem esse posse, qui legem sic exacte ac sem-
“ per servet, ut nunquam vel in minimo delinquat,
“ ac proinde sic ex lege legisque operibus neminem
“ justificari aut servari posse; et qui non simul apo-
“ stolo objecturus fuisset, male homines omnes reos
“ formaliter agi pœnæ, quando certum est, impossi-
“ bile iis esse, ut culpam evitent, id est, legem per-
“ fecta et perpetua ista ratione servent.” Funda-
mentum horum omnium illud est, quod justitiæ di-
vinæ repugnet, ut quisquam ad plane impossibilia
(sub periculo præsertim æternæ mortis) teneatur.

7. Quod hic excipiunt nonnulli, Deum in primo homine ante lapsum dedisse nobis vires, ad absolutissimam illam obedientiam præstandam sufficientes, nos vero vires istas peccato, quod is in nostra omnium persona perpetravit, amisisse, ac proinde etiam nunc a nobis talem obedientiam, idque sub periculo æternæ mortis, Deum meritissimo jure posse exigere; hoc, inquam, nimis absurdum est. Cum enim homo per lapsum vires, quas amisit, non efficienter (ut loquuntur) sed meritorie, hoc est, per actum Dei pœnalem, easdem ab ipso subtrahentis, amiserit, ut eandem obedientiam, istis viribus amissis, etiam nunc ab homine Deus exigit, ab ejus tam sapientia quam justitia perinde alienum videtur, ac si quis magistratus, alicujus ob crimen aliquod pedibus excisis, ipsi primum mandaret, ut aliquo iret, deinde quod non iret, capitali ipsum supplicio afficeret. Absit, ut

talia de Deo optimo maximo sapientissimo vel cogitemus.

8. Ad legem Mosaicam veniamus; eam vero perfectæ obedientiæ legem fuisse, multo minus verisimile est^y. Quod ut manifestum fiat, accurate observandum (quod a Grotio notatum fuit^z) legem veterem duplicem omnino *σχέσιν* habuisse, seu dupliciter spectari posse, 1^o. carnaliter et secundum litteram, qua instrumentum fuit *πολιτείας* Judaicæ; 2^o. spiritualiter, qua *σκιάν εἶχε τῶν μελλόντων*, Heb. x. 1. In hac posteriori *σχέσει*, cum lex nihil aliud fuerit, quam ipsum evangelium typis adumbratum, nemo satis sanæ mentis eam fuisse perfectissimæ obedientiæ legem dixerit, eo sc. sensu, quo lex perfectæ obedientiæ in hac controversia intelligitur. Reliquum est igitur, ut sub priori consideratione legem Mosis fuisse perfectissimæ obedientiæ legem affirmemus. Atqui illud statuere mire esset absurdum, quia 1^o. in ea lege Judæis sacrificia Deus diserte imperasse legitur, quibus delicta, quæ ex legis contemptu atque elata manu non fierent, expiarentur, uti legere est, Num. xv. a ver. 22. ad ver. 29. inclusive. Jam vero ubi aliqua peccatorum venia conceditur, ibi perfectæ obedientiæ exactio locum habere non potest: sunt enim hæc *ἀσύστατα*. 2^o. Tantum abest, ut lex Mosaica a Judæis perfectam obedientiam postularit, ut nimis manifestum sit, nonnulla in ea lege iis a Deo propter *σκληροκαρδίαν* ipsorum permissa fuisse, quæ vix, ac ne vix quidem, a peccato excusari poterant. In hoc censu ponenda

^y Vide Examen Censuræ, Resp. ad Animadvers. XVII. ejusque appendicem pereruditam. GRABE.

^z De Satisf. Christi, cap. 10. p. 183, 184. [vol. III. p. 331. Op. ed. 1679.]

sunt imprimis polygamia ac licentia divortii ob causas leviores; qua de re vide Deut. xxiv. 1, &c. coll. Matt. xix. 3, &c. Concludo igitur, cum per legem Mosaicam carnaliter spectatam multa Judæis peccata remissa fuerint, quædam (quæ nobis saltem Christianis peccata censentur) etiam diserte permessa, extra controversiam poni debere, legem istam, eo modo consideratam, obedientiam perfectam atque omnibus numeris absolutam nequaquam exegisse.

9. Non desunt tamen argumenta, quibus nonnulli hypothesin istam veram esse probare conantur, atque inde Paulum impossibilitatem justificationis per legem Mosaicam collegisse. Ea scrupulose expendemus, visuri, num quid solidi in se habeant, quod tam apertæ veritati præjudicare debeat. Duo imprimis adferunt.

10. Primum eorum argumentum desumptum est ex loco paulo superius^a a nobis allegato, nempe Gal. iii. 10: *Quotquot ex operibus legis sunt, sub maledictione sunt. Scriptum est enim, Maledictus est quisquis non manserit in omnibus, &c.* Ubi (inquiunt) manifestum est, apostolum impossibilitatem justificationis ex lege Mosaica inde colligere, quod per legem istam nemo a maledictione liber sit, qui non omnibus legis ejusdem mandatis perfecte functus fuerit. Resp. Non necesse est, neque conveniens, ut in loco citato phrasis ista, *in omnibus permanere*, significet perfectissimam obedientiam, sive omnimodam ἀναμαρτησίαν, qualem antea^b descripsimus; cum talis obedientia homini carne circumdato impossibilis sit, neque æquitati divinæ consentaneum videatur, ut quis ob ejus defectum æternæ maledi-

^a [h. c. 5.]

^b [h. c. 6.]

ctioni obnoxius fiat. ^cEst igitur citati testimonii sensus, Omnem eum esse maledictum, i. e. execrabilem, et pœnis a lege intentatis obnoxium ac devotum, qui non perseveranter omnia faciat atque observet, quæ lex præscribit observanda. Censetur autem omnia facere, qui a fine legis non aberrat, qui essentialia legis (ut diximus) sarta tecta conservat, sive (ut alii loquuntur) qui custodit ea omnia legis præcepta, quæ continent *substantiam vitæ*: cujusmodi sunt omnia, quæ in maledictionibus a Mose exprimuntur, Deut. xxvii; verbo dicam, qui nihil sciens prudens contra legem Dei in se admisit, etiamsi fortasse in aliquibus sive ex ignorantia sive inadvertentia deliquerit.

11. Magnam huic textui lucem affert locus ei geminus sancti Jacobi, cap. ii. ver. 10. *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus, πάντων ἔνοχος*, h. e. pœnæ et maledictioni legis transgressoribus intentatæ obnoxius. Quis non videt, locum hunc Jacobi testimonio a Paulo citato per omnia respondere? At nihil certius, quam hæc Jacobi verba de omnimoda ἀναμαρτησίᾳ nequaquam esse interpretanda, cum de ea legis obligatione manifeste loquatur apostolus, quæ ad nos etiam Christianos pertineat. Statuendum est igitur, offensionem hic intelligi non quæcumque, ut quidam voluerunt, etiam levissimam, de qua loquitur Jacobus, cap. seq. ver. 2. *In multis offendimus omnes; atque iterum, Siquis in verbo non offendit, hic perfectus est vir*; etiamsi enim vox πταίσει videatur de lapsu aliquo loqui leviori; tamen ex loci contextu et ratione ipsa manifestum est, Jacobum

^c Ad clariorem hujus loci intellectum consule (si placet) quæ a nobis dicta sunt, hujus Dissertationis, c. xvi. sect. 7, 8, 9.

loqui non nisi de ejusmodi peccatis, quibus quis legem sciens prudens transgreditur. Ipsa ratio hunc sensum postulat; quomodo enim verum est, cum, qui totam cæteroquin legem servaverit, si in verbo otioso aut risu immoderato imprudenter offenderit, omnium reum fieri? Contextus apostoli idem docet: nam primo ea tantum peccata diserte nominat, quæ graviora sunt, qualia homicidium, adulterium, ver. 11. deinde ratio, qua dictum suum confirmat, ibidem expressa hanc interpretationem exigit; *Quia qui dixerit, Ne mœcheris, dixerit etiam, Ne occidas.* Quasi dicat, cum omnium legum divinarum eadem sit ratio, eadem autoritas, qui unam istarum violat, et sciens prudens transgreditur, is eo facto omnium auctoritatem convellit ac spernit; nec videtur ideo cæteras servare, quia earum auctoritatem tantam esse arbitretur, ut violare eas sit nefas, sed quia adversus eas non ita peccare libeat. Cur enim alias non observaret et illam, quam violat, legem, cum eadem sit illius, quæ cæterarum est autoritas; siquidem ab eodem legislatore est lata, a quo cæteræ omnes suam auctoritatem habent? Quod si illi ita liberet peccare adversus cæteras leges atque hanc unam, quam violat, æque facile id videretur factururus. Loquitur igitur manifeste Jacobus de iis peccatis, quæ contra finem legis atque auctoritatem legislatoris fiunt; cui consentaneum est, quod scribit Augustinus ad Hieronymum^d, quem in epistola satis prolixa hoc ipso de loco consulit. Summa est, eum, qui in uno offendit, esse omnium reum, quia contra charitatem facit, ex qua tota lex pendet, et prophetæ: “ Nam,” inquit, “ merito fit omnium reus, qui contra illam facit, ex “ qua pendent omnia.”

^d Epist. XXIX.

12. Regeret fortean aliquis, Esto; exponatur eo modo Jacobi locus; atqui eadem interpretatio Pauli scopo in illo ad Galatas loco nullo modo convenit. Cum enim non alia ratione probet apostolus, omnes, qui sub lege sunt, maledictioni subjectos esse, nisi quia scriptum est, *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus*, &c. satis manifeste innuit, neminem in omnibus permanere posse, sive legem absolutissimam obedientiam postulasse, quæ a nemine præstari possit. Resp. Omnino nego in argumentatione apostoli illud innui; quod ut manifestum fiat, revocetur ea ad formam syllogisticam, hoc modo:

Maledictus est, qui non permanserit in omnibus, quæ lex præcipit;

At quicumque ex operibus legis sunt, non permanent in illis omnibus;

Ergo quicumque sunt ex operibus legis, sub maledicto sunt.

Nimirum diserte loquitur apostolus de iis, qui ἐξ ἔργων νόμου sunt, ver. 10. h. e. qui in lege justitiam quærunt, vel ignorata vel spreta gratia evangelii; quos opponit iis qui ἐκ πίστεως sunt, ver. 9. h. e. qui evangelio credunt, ejusque gratiam amplexantur, quique benedictionem Abrahami, (promissum Spiritus, quo legis justitiam implerent, ejusdemque adeo κατάραν effugerent,) sortiti sunt, ver. 14. De illis quidem innuit, eos in omnibus, quæ lex præcipit, nec permansisse, nec permanere potuisse; de his vero nequaquam ita statuit. Verbo dicam, contra possibilitatem legis, (quatenus ea ut lex, h. e. sub pœna mortis æternæ nobis imponitur, vel unquam a lapsu primi hominis humano generi imposita fuit,) per gratiam evangelicam in omnibus implendæ, ne verbulum

unquam dixit apostolus; imo possibilitatem illam sæpius aperte agnoscit, ut postea videbimus.

13. Restat alterum adversariorum argumentum (quo tanquam invictissimo gloriantur) desumptum ex loco illo celebri Deut. vi. 5. *Itaque diliges Jehovam Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex totis viribus tuis.* Vides hic, inquit, summam ac perfectissimam Dei dilectionem ab omnibus in lege requiri. Resp. Qui hoc pugnant argumento, suo se gladio jugulant; cum enim dilectionem hic aliam non postulet Deus, quam quæ ex toto corde, ex toto animo, atque *ex omnibus viribus* fiat, manifestum fit, nil a nobis præter aut supra vires nostras (ea scil. gratiæ mensura, quam Deus unicuique nostrum in hac vita communicat, vel certe communicare paratus est, adjutas) postulari; certum autem est, posse nos omnes ex omnibus viribus nostris obedire Deo; quia manifesta esset ἀντιλογία, non posse nos aliquid pro viribus præstare. Veritas hujus responsionis his rationibus firmissime stabilitur; 1°. Quod promittat Deus, se populo suo daturum, quod hic postulat; circumcisorum scil. cor eorum, ut diligant eum ex toto corde, &c. Deut. xxx. 6. 2°. Quod Deus ipse testetur, fuisse qui eum hoc modo dilexerunt: sic de Aza rege et toto populo dicitur, quod *quæsierint Dominum in toto corde, et in tota anima sua*, 2 Paral. xv. 12. De Davide legimus, quod *secutus Deum fuerit toto corde, faciens quod bene placitum erat in conspectu ejus*, 1 Reg. xiv. 8. Sed insigne est testimonium, quod de Josia rege præbet Spiritus sanctus, quod *reversus fuerit ad Deum in omni corde suo, et in tota anima sua, et IN UNIVERSA VIRTUTE SUA JUXTA OMNEM LEGEM MOSIS*, 2 Reg. xxiii. 25.

nimirum id toto corde, totis viribus dicitur fieri, in quo quis præcipuum studium et cogitationem ponit; quomodo dicimus aliquem totum esse in literis, ut recte Estius, quem super hac quæstione consulas in Sent. lib. III. dist. 27. sect. 6, 7, 8.

14. Illud jam huic disputatiunculæ pro coronide adjiciam, sententiam hanc nostram de possibilitate implendi legem (quatenus ea ut lex imposita a Deo hominibus unquam fuerit) dogma esse non novitium, sed veterum omnium, qui antequam purioris ac primitivæ doctrinæ rivulos turbasset controversia Pelagiana scripsere, communi calculo ac suffragio comprobatum. Author Quæst. et Respons. ad Orthodoxos (inter opera Justini) [p. 483.] in Responsione ad Quæst. 103. (quæ est, “Quomodo Deus quæ
 54 “supra vires sunt imperans, hoc est, ut ne peccemus, “peccantem subjicit tormentis; cum homo legem
 “implere non possit? testante apostolo, *Non justificabitur ex operibus legis omnis caro*”) hæc habet observatu dignissima; *Τί δέ ἐστὶ πᾶσα ἡ κατὰ τὸν νόμον δικαιοσύνη; Τὸ ἀγαπᾶν τὸν Θεὸν μὲν ὑπὲρ ἑαυτὸν, τὸν πλησίον δὲ ὡς ἑαυτόν· ὅπερ οὐκ ἔστιν ἀδύνατον ἀνθρώποις βουληθείσι. Τὸ οὖν, Ἐξ ἔργων νόμου μὴ δικαιωθῆναι πᾶσαν σάρκα, οὐ διὰ τὸ μὴ δύνασθαι τὰ ἀδύνατα λέγει, ἀλλὰ διὰ τὸ μὴ βούλεσθαι τὰ δυνατά. Τῇ γὰρ βουλήσει πρὸς τὰ δυνατὰ κεκρήμεθα, οὐ πρὸς τὰ ἀδύνατα. Τοῖς γὰρ δυνατοῖς καὶ ἐφ’ ἡμῖν οὖσιν ὁ ἔπαινος ἢ ὁ ψόγος γίνεται πραχθείσιν ἢ μὴ πραχθείσι. τοῦ δὲ, διὰ τὸ μὴ αἰρεῖσθαι, καὶ οὐ διὰ τὸ μὴ δύνασθαι, ἀμαρτάνομεν ἄνθρωποι. i. e. “Quæ vero est
 “universa secundum legem justitia? Diligere Deum
 “supra seipsum, et proximum ut seipsum; quod impossibile non est hominibus voluntatem ad id adjun-
 “gentibus. Quocirca illud, *Ex operibus legis non
 “justificatum iri omnem carnem*, non propterea dicit*

“ (apostolus) quod præstare impossibilia non possimus,
 “ sed quod facereabilia non velimus. Voluntate
 “ namque adabilia utimur, non ad impossibilia.
 “ Nam operibus, quæabilia sunt, et in potestate
 “ nostra sita, si vel fiant, vel non fiant, aut laus debetur
 “ aut vituperatio. Eo autem quod non velimus, non
 “ eo quod non possimus, omnes peccamus homines.”
 Basilius Magnus Homil. in illud Mosis, *Attende
 tibi ipsi*, sententiam eorum, qui præcepta legis
 impossibilia esse præstatu affirmant, ut impiam ac
 minime tolerandam rejicit; verba sunt^c, Ἄσεβες οὖν
 τὸ λέγειν, ἀδύνατα εἶναι τὰ τοῦ Πνεύματος παραγγέλματα
 “ Impium est asserere, præcepta Spiritus S. impossi-
 “ bilia esse observati.” Eadem Chrysostomi mens
 fuit; nam Hom. 18. in Matt. ait^d, Μὴ τοίνυν ἀδύνατα
 εἶναι νομίζομεν τὰ ἐπιτάγματα. Καὶ γὰρ μετὰ τοῦ συμ-
 φέροντος σφοδρὰ ἐστὶν εὐκόλα, εἰάν νήφωμεν. “ Ne igitur
 “ impossibilia putemus esse præcepta, quæ certe et
 “ utilia nobis sunt et valde facilia, si tota utique mente
 “ vigilemus.” Similia habet Homil. 8. de Pœnitentia,
 item in Psalm. ci: neque aliter senserunt catho-
 lici plerique qui post et contra Pelagium scripserunt.
 Imo et Augustinus ipse (utcunque alias in contro-
 versia ista satis infelici nimium incaluerit) non du-
 bitabat fateri, Deumabilia mandasse, et quidem
 sensu isto, quod et singula et omnia singuli omnes-
 que fideles implere valeant. Quid, quod juxta cum
 Basilio contrariam sententiam impietatis adeoque
 blasphemiae condemnat? nam Serm. 191. de Tem-
 pore^e, hæc habet verba; “ Execramur etiam blas-
 “ phemiam eorum, qui dicunt, impossibile aliquid

^c [Vol. II. p. 18.]

^d [§. 3. vol. VII. p. 236.]

^e [Sed hunc sermonem recentiores critici Augustino abjudi-
 carunt. Vid. vol. V. Append. p. 388.]

“ homini a Deo esse præceptum ; et mandata Dei
 “ non a singulis, sed ab omnibus in commune posse
 “ servari.” Vide Vossii Hist. Pelag. lib. V. part. 1,
 Antithes. 6.º

CAP. VIII.

*Vera argumenti apostolici fundamenta aperiuntur ; quæ duo
 sunt : 1. Tam Judæos, quam gentes indiscriminatim, atque
 omnes ex utraque natione universim, gravium peccatorum
 reos fuisse, atque adeo judicio atque ira divinæ obnoxios :
 2. Nullam in lege Mosaica veram ac perfectam peccatorum
 remissionem, sive ab ira divina ac morte æterna peccatis
 debita liberationem promitti. Hinc quomodo conclusionem
 suam inferat apostolus ostenditur.*

1. EX iis, quæ jam diximus, abunde satis liquere
 arbitror, legem Mosaicam perfectissimam obedientiam, h. e. omnem et omnimodam in supremo gradu
ἀνεμάρτησίαν, sub periculo æternæ mortis non requisivisse ; neque huic hypothese argumentationem apostolicam
 superstructam esse^h. Restat, ut qua tandem ratione conclusionem suam probet apostolus,
 dispiciamus. Existimo igitur (salvo meliore judicio) hanc apostoli ratiocinationem duobus maxime fundamentis niti.

2. Primo, tam Judæos quam gentes indiscriminatim,
 55 atque omnes ex utraque natione universim, gravium peccatorum reos fuisse, atque adeo judicio et iræ divinæ obnoxios. Illud de Judæis imprimis, nec non omnibus qui in lege justitiam quærebant, innuitur (ut capite præcedente diximus in responsione ad

g Confer superius Annotata ad Dissert. Prior. III. 4. p. 43. et Appendicem Responsionis ad Animadv. XVII. sect. 8. seqq. GRABE.

h Vide Episcop. Respons. ad 64. Quæstion. quæst. 20.

argumentum primum) in loco illo Gal. iii. 10. Sed fuse de omnibus indiscriminatim idem demonstratur Rom. iii. ubi gravium multorum criminum actionem tum Judæis tum gentibus intendit apostolus.

3. Ut autem totus istius loci contextus rectius intelligatur, duo apprime observanda sunt: alterum ad actionem ipsam pertinens; alterum personas, quibus actio intenditur, respiciens.

1°. Ad ipsam actionem quod attinet, notandum, eam esse de peccatis non quibuscunque etiam levissimis, sed de peccatis magis proprie sic dictisⁱ, h. e. gravioribus atque æterna morte dignis. Clare id liquet (1.) ex verbis, quibus thesis ab apostolo in capite præcedente probata, et in hoc ipso capite amplius demonstrata exprimitur ver. 9. Προητιασάμεθα, ante causati sumus, et Judæos et Græcos omnes ὑφ' ἁμαρτίαν εἶναι, sub peccato esse; ubi phrasis illa, ὑφ' ἁμαρτίαν εἶναι, manifeste significat sub peccati esse dominio, seu gravibus peccatis addictum esse. Qualis quisquis est, ab apostolo dicitur πεπραμένος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν, venditus sub peccato, infra cap. vii. 14; (2.) ex toto apostoli contextu, in quo peccata, quæ enumerantur, omnia gravioris sunt generis, ut cuivis eum inspicienti facile patebit.

4. 2°. Si de personis quæras, quibus actio intenditur, ii sunt tam gentes quam Judæi, ver. 9, 19, 23. sed utrique in statu, quo erant ante et citra gratiam evangelii, spectati. Quod vel ex scopo apostoli manifestum est, cui id erat propositum, ut utrosque, tum Judæos, tum gentes de reatu et miseria sua con-

ⁱ “Omnis mundus, i. e. maxima pars hominum, pœnas gravissimas meruit, non sane ob aliquid agnatum,” (h. e. non ob naturæ imperfectionem,) “sed ob facta perfida et crudelia,” &c. Grot. in Rom. iii. 19.

victos, ad gratiam evangelii quærendam atque amplexandam accenderet. Contendit igitur Paulus, tum gentes tum Judæos, in statu isto consideratos, omnes sub peccato esse. Dices, At erant nonnulli saltem inter Judæos, qui ante fidem Christi vitam egerunt sanctam et inculpatam, atque a vitiis istis, quæ hic recenset apostolus, et eorum similibus alienissimam; quales fuerunt Zacharias, Elizabeth, Simeon, Anna, aliique. Resp. Fateor; imo nullus dubito, quin inter gentes etiam fuerint nonnulli, qui a vitiis hic memoratis abhorruerint, atque adeo virtutem ac justitiam, qua ipsis cognita erat, sincere coluerint et ex animo. Atque ut in ea sim sententia, et recta ratio suadet, et autor mihi est apostolus ipse, qui illud ipsum non obscure docet hujus Epistolæ cap. ii. 14, 15, 26, 27. Verum quia de Judæis tantum procedit objectio, de iis solum respondebimus; lectori interim illud relinquentes, ut eandem responsionem gentibus etiam (mutatis mutandis) accommodet. Dico igitur 1. Quod pii isti inter Judæos fuerunt oppido pauci, et ad cæteros comparati quasi gutta in mari; ideoque eorum non magna ab apostolo habenda erat ratio; sed æquum fuit, ut numerosissimæ impiorum turbæ (ut nonnemo loquitur) suffragaretur rarissima bonorum paucitas. Et certe locutiones ejusmodi universales, qualibus hic utitur apostolus, creberrime occurrunt in Scripturis, quas tamen hyperbolen continere manifestum est; vide Joan. iii. 32. Isa. lxvi. 23. Joel ii. 28. Act. ii. 17. Ps. xiv. 2, 3. et cxlv. 14, 15. Phil. ii. 21, &c. 2. Pauci illi, qui sub lege justii fuerunt, non ex lege justitiam suam acceperunt, sed illam debuerunt acceptam gratiæ evangelicæ; quæ etiam ante evangelii promulgationem per omnia retro sæcula (parcius quidem ac rarius) vim suam ex-

eruit. Verbo dicam, Spiritu ducebantur non legis, sed evangelii, adeoque inter eos qui ἐκ πίστεως, *ex fide* sunt, non ἐξ ἔργων νόμου, *ex operibus legis*, censeri meruerunt. Unde autor Epistolæ ad Hebræos egregia omnia piorum, qui in Veteris Testamenti historia clarescunt, opera non a lege, sed a fide profecta esse ostendit. 3. Vero simile est, etiam paucos illos non ita semper totum vitæ suæ curriculum gessisse, quin aliquando in peccata aliqua, aut peccatum saltem aliquod gravius ac morte dignum prolapsi fuerint; imo pro certo illud habendum est, siquidem de iis ipsis viris, quibus in Vet. Test. divinæ legis inculcata et perfecta observatio tribuitur, diserte tamen legitur, quod aliquando in peccata quædam, eaque enormia et morte dignissima inciderint; uti de Aza 2 Paral. xvi. per totum, de Davide 1 Reg. xv. 5. de Josia 2 Paral. xxxv. 22. Atque in hunc sensum interpretandum existinem, quod apud apostolum sequitur, ver. 23. *Omnes peccarunt, et destituuntur gloria Dei*: nimirum propositio illa plane universalis videtur, ut neminem excipiat qui non peccatorum quorundam, vel peccati alicujus gravioris, sive aliquando, sive aliquandiu, reus fuerit.

5. Atque hoc videtur esse illud ipsum, quod Scriptura passim asserit, nominatim 1 Reg. viii. 46. *Non enim est homo, qui non peccat*; et 1 Joan. i. 8. *Si dixerimus, nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus, et veritas in nobis non est*; et ver. 10. *Si dixerimus, nos non peccasse, mendacem facimus eum, et sermo ejus non est in nobis*: quam orationem de peccatis proprie dictis, non de levioribus culpis duntaxat intelligendam, et prorsus universalem esse, res loquitur, et quæ deinde in illa Epistola, ii. 1, 2. adduntur. Ubi tamen et illud notandum, sanctum

Johannem in tempore loqui præterito, *Si dicamus ὅτι οὐκ ἡμαρτήκαμεν, nos non peccasse*, sc. ante evangelii cognitionem. Nimirum voluit sanctus apostolus, ut Christiani, ad quos scribit, ab ingrati animi crimine sedulo sibi caverent, neque quod a vitiis purgati essent vel sibi ipsis vel legi, sive Mosis sive naturæ, sed gratiæ tantum evangelicæ tribuerent. Alioquin non videtur negare, post evangelii notitiam acceptamque ipsius gratiam potuisse quosdam esse sine peccato^k, ita ut *peccati* vox ab ipso sumitur, non ut meras ignorantias, aut subitos motus significet, sed ut eos actus malos qui tractum habent (ut loquitur Grotius) et deliberationem non antevertunt. Imo illud possibile esse non obscure innuit I Epist. ii. 1. ubi Christianos serio hortatur, ne peccent. Regeter forte aliquis, Apostolum in capite prædicto, ver. 8. uti etiam tempore præsentis, *Si dicamus ὅτι ἀμαρτίαν οὐκ ἔχομεν, nos peccatum non habere*, &c. innuit igitur, neminem vel post fidem evangelii a peccatis istis magis proprie sic dictis purum esse, vel esse posse. Sed facilis est responsio; nam *ἀμαρτίαν ἔχειν* et *ἀμαρτάνειν* seu *ἀμαρτίαν ποιεῖν* non idem significant; ¹ quippe *ἀμαρτίαν ἔχειν* (ut recte Grotius) non est, nunc in peccato esse, sed ob peccata prius commissa reum vel esse vel posse fieri, ut manifestissime apparet ex Joan. ix. 41. et xv. 22, 24; sensus ergo est, Si dicamus, nos ante notitiam evangelii non graviter peccasse, eaque propter mortis æternæ reos

^k Οἱ μὲν οὖν ἀρχῆθεν, (nempe ἀναμάρτητοι,) ἀδύνατοι· οἱ δ' ἐκ μεταβολῆς, σπανίως εἰσὶν εὐρισκόμενοι, οἵτινες ἐκ τοῦ προσεληλυθέναι λόγῳ σώζονται, τοιοῦτοι γίνονται, οὐχὶ δὲ τοιοῦτοι ὄντες τῷ λόγῳ προσέρχονται. χωρὶς γὰρ λόγου, καὶ ταῦτα τελείου, ἀμήχανον ἀναμάρτητον γενέσθαι ἄνθρωπον. Origen. cont. Cels. lib. III. p. 153. edit. Spenc. [c. 69, p. 493.]

¹ “ Hoc est enim non habere peccatum, reum non esse peccati.” Aug. tom. VII. de Nupt. et Concup. I. 26. [vol. X. p. 295.]

fuisse, atque adeo etiamnum reos fore, nisi succurreret gratia et misericordia evangelii, plane mendaces et turpiter ingrati sumus in evangelium ac veritatem illam quam profitemur. Quid multis? manifestus est sui interpretes Johannes ipse, cum quod prius dixerat, ἀμαρτίαν ἔχομεν, postea non per ἀμαρτάνομεν in præsentī, sed ἡμαρτήκαμεν in præterito exponit. Sed ad Paulum revertamur.

6. Ex iis quæ diximus apparet, primæ hypotheseos, qua nititur apostoli argumentum, summam hanc esse; Judæos, nedum gentes, si longe maximam eorum partem spectes, plane sub peccati dominio fuisse, turpissimisque vitiis mancipatos: qui vero fuerunt ex utraque natione optimi et sanctissimi, non ita vitam suam instituisse, quin aliquando in peccata aliqua, vel peccatum saltem aliquod gravius et morte dignum inciderint: atque adeo omnes, tum Judæos tum gentes, indiscriminatim ac sine exceptione ὑποδίκους τῷ Θεῷ, ver. 19. iræ divinæ ac morti æternæ obnoxios fuisse.

7. Alterum, quod in argumento suo supponit apostolus, illud est, Nullam in lege Mosaica veram ac perfectam peccatorum remissionem, sive ab ira divina ac morte æterna peccatis debita liberationem promitti. Huc satis manifeste respexit apostolus, ver. 20. prædicti capitis, ubi deducta ex priori tantum hypothesi conclusione sua, sc. *neminem ex operibus legis in conspectu Dei justificari posse*, mox et hanc alteram (sine qua tota ejus argumentatio infirma fuisset) subjungit his verbis; Διὰ γὰρ νόμου ἐπίγνωσις ἀμαρτίας, *Per legem enim (est) cognitio peccati*; quæ sententia procul dubio exclusive est intelligenda, hoc modo, Per legem tantum est cognitio

peccati, non remissio; per legem ergo nulla est justificatio.

8. Non me latet esse nonnullos (quibus in ea sententia præivit Origenes) qui hanc clausulam de lege non Mosis, sed naturæ interpretandam censent: sed falluntur^m; nam 1^o. quamvis multi ante legem scriptam habuerint agnitionem malefactorum suorum, accusantibus ipsos suis conscientiiis, obscurior tamen et imperfectior erat ea notitia. Nam lumen naturale rationis ita peccato fuit obnubilatum, ut multa, quæ peccata sunt, non putarentur esse peccata; multa quoque levia ducerentur, quæ gravia sunt. At vero per legem, a Deo datam et tabulis inscriptam, multo clarior et perfectior accessit peccati cognitio; nec solum quatenus rectæ rationi peccatum repugnat, verum etiam qua Dei offensa est, et a Deo graviter puniendum; quod utrumque per solam naturæ legem pauci, nec nisi imperfecte, poterant cognoscere: confer Rom. vii. 7. 2^o. Si de lege naturæ partem hanc interpreteris, non perinde contra Judæum valebit, qui dicere poterit, Etsi per legem naturæ tantum peccati cognitio sit, legi tamen divinæ, quam ipse accepit, amplius esse tribuendum. Dices, At si tantum de lege Mosis scripta verba apostoli interpreteris, nihil ea contra gentiles valebunt, quippe quibus cum lege ista nihil fuerit commune; sequitur igitur clausulam illam de utraque lege, tum Mosis tum naturæ exponendam esse. Resp. Nequaquam; nam 1. si solummodo de lege scripta apostolum intelligas, manebit adhuc argumentum ejus contra gentes firmissimum, quippe a majori ad minus ductum, hoc modo; Si lex a Deo data, tanquam legis naturalis

^m Vid. Estium in loc.

per peccatum obscuratæ quædam interpres, explicans eam ac renovans, justitiam præstare non potuit, multo minus id potest sola lex naturalis: quare si ex operibus legis scriptæ nemo Judæus justificatur, consequenter intelligendum relinquitur, multo minus gentilem justificari posse ex operibus legis naturæ. Sed 2. quod de lege Mosaica concludit Paulus, ad gentes quam maxime pertinet; quippe ex quibus plurimi, qui evangelio crediderant, doctorum vel Judaicorum vel Judaizantium præstigiis in tantam legis Mosaicæ admirationem adducti essent, ut sanctissimum Christi evangelium vel plane contemnerent vel minus æstimarent; imo horum imprimis ex gentibus misere seductorum gratia apostolus operosam hanc contra legem Mosis disputationem procul dubio suscepit.

9. Porro hunc legis Mosaicæ defectum, quod scilicet nullam ab ira divina peccatis debita liberationem promiserit, clarius ostendit apostolus ad Gal. iii. 10. ubi omnes, qui sunt ex operibus legis, *ὕπὸ κατάρων εἶναι*, *sub maledicto esse* pronunciat; h. e. ita sententia legis maledictoria obstrictos, ut iis nulla omnino ex ipsa lege libertatis spes affulgeat; quod apertius adhuc docet ver. 13. ostendens, Christum solum, qui *κατάρων* pro nobis factus est, *ἐκ τῆς κατάρων τοῦ νόμου*, *ab hac legis maledictione*, nos redemisse.

10. Diximus autem exerte, legem Mosis nullam peccatorum veram ac perfectam remissionem continere; quia satis norim, veniam aliquam (qualis qualis erat) peccatis, iisque voluntariis et gravioribus, in lege Mosaica datam fuisse. Quamvis enim peccata, quæ per superbiam, rebellionem manifestariam, aut elata, ut Scriptura loquitur, manu fierent, nullis sacrificiis expiari poterant, sed morte citra misericor-

diam aut veniam mulctabantur, nisi specialis gratia Dei interveniret, ut Num. xv. 25, 26, &c. manifeste legere est; “ Inter ista tamen peccata” (ut optime notavit vir doctissimus^m) “ censenda non sunt “ ea omnia, quæ voluntaria sunt, aut sponte dedita-
 “ que aliquo modo opera fiunt; sed ea tantum, quæ
 “ ex Dei præceptorum contempzione, aut contumacis
 “ animi protervitate fiunt; proinde quibus pœna mor-
 “ tis a Deo constituta est.” Qui contra sentiunt, in aperto errore versari, patet ex eo, quod videamus, Deum etiam ordinare sacrificia pro istiusmodi peccatis, qualia sunt, *non restituere depositum, per fraudem alicui aliquid ereptum ire, repertam alterius rem negare, idque juramento interposito*, Lev. vi. 2, 3, 4, &c. Remissio itaque in lege Mosaica peccatis, iisque gravioribus, concessa erat; at qualis? externa, civilis, temporaria, quæque tantum ad vitam hanc carnalem spectabat.

II. Nam lex, quatenus erat instrumentum civilis societatis ad beatitudinem πολιτικὴν ordinatum, longævam iis vitam pollicebatur qui secundum legem viverent, Lev. xviii. 5. ut e contra violentam ejus transgressoribus mortem minabatur, ut cognoscimus ex Exod. xx. 7. Verum misericors Deus, summus νομοθέτης, ne peccantium suppliciiis populus omnis deleteretur, statuit, ut quædam atrocissima quidem delicta (quæ vitæ et consuetudini hominum civili, et politiæ isti θεοκρατικῆ, ejus tutandæ gratia lex Mosaica instituta erat, apertum bellum indixerunt, qualia idololatria, homicidium, adulterium, &c.) non nisi morte expiarentur; sed pro hominibus carne immundis, aut peccato non ita atroci contaminatis, victimæ mactarentur, itaque pœna mortis temporariæ, quam homo

^m Episcop. Institut. Theol. III. 3, 2. [vol. I. p. 71.]

commeruit, in bestiam transferretur. Præbebant itaque sacrificia Mosaica carnalem tantum ἀπολύτρωσιν, quatenus ex instituto divino liberabant quidem a morte aut violenta aut immatura; nullum autem contra mortem ipsam remedium adferebant. Verbo dicam, non præstabant ejusmodi remissionem, quæ cum donatione vitæ æternæ conjuncta esset; quippe cujus in lege Mosis nulla mentio, nedum promissio facta fuerit.

12. Huc clare respexit divinus autor Epistolæ ad Hebræos, cap. ix. ubi de sacrificiis in lege præscriptis locutus negat ea potuisse τελειῶσαι κατὰ τὴν συνείδησιν τὸν λατρεύοντα, ver. 9. h. e. ab interno atque æterno peccati reatu in conspectu Dei hominem liberare; sed profuisse tantum πρὸς τὴν τῆς σαρκὸς καθαρότητα, ibid. ver. 13. *ad carnis purgationem*, i. e. ut homo exterius a pœna ac morte corporali liberaretur. Eo- 58
dem etiam referenda sunt, quæ alibi multis argumentis contendit sanctus Scriptor: sc. *perfectionem a sacerdotio Aaronico*, i. e. a sacrificiis ab istis sacerdotibus oblatis, *nullam esse sperandam*, cap. vii. 11; *legem nihil*, i. e. neminem, *perfectum reddidisse*, ibid. ver. 19; *legem non potuisse ad eam accedentes*, h. e. cultum in ea præscriptum observantes, *perfectos ac consummatos reddere*, cap. x. 1; quibus in locis per *perfectionem* imprimis intelligit autor plenam ac perfectam h. e. æternam a peccatis omnibus, non solum levioribus, sed et gravissimis, absolutionem; quam per legem Mosaicam præstari meritissimo jure negat.

13. Qui hæc probe teneat, ei non obscurum erit, qua de causa apostolus legi Mosis justificationem detrahat; nempe, non quia perfectissimam atque adeo impossibilem obedientiam, tanquam conditionem justi-

ficationis, postulet ; quin potius quod nullam omnino veram justificationem, h. e. cum vitæ æternæ donatione conjunctam, sub quavis conditione concedat.

14. Ex his itaque præmissis suam tandem conclusionem infert apostolus, sc. neque Judæos neque gentes (quos sub verbis *πᾶσα σὰρξ* comprehendit) per legem Mosis justificari posse *ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ*, in conspectu Dei, ver. 20 ; quæ verba signanter et emphatice addita sunt, quia concedenda erat legi sua quædam *δικαίωσις*, sed apud homines, et quæ ad temporalem tantum felicitatem proderat, non ad regnum cælorum obtinendumⁿ. Quod optime explicat auctor commentariorum qui Ambrosio^o tribuuntur, his verbis ; “ Verum est, quia nemo per legem justificatur, “ sed apud Deum ; justificatur autem apud mundum, “ ut securus sit in vita præsentis. Si autem apud “ Deum justificari vult, ut illi ad meritum proficiat in “ die judicii, Dei sequatur fidem ; alioquin hic se- “ curus, reus erit in futurum.”

15. Tota igitur hæc apostoli argumentatio hoc syllogismo comprehendi potest :

Nemo per legem Mosis in foro Dei justificari potest, qui eorum peccatorum reus sit, quorum nulla in foro Dei remissio per legem istam conceditur ;

Atqui omnes (tam Judæi quam Græci) eorum peccatorum rei sunt, quorum nulla in foro Dei remissio per legem Mosis conceditur :

Ergo nemo (neque Judæus neque Græcus) per legem Mosis in foro Dei justificari potest^p.

ⁿ Hæc carpenti adversario breviter respondit cl. auctor in Examine Censuræ, Respons. ad Animadvers. XVIII. GRABE.

^o In Gal. iii. [v. Op. vol. I. p. 220.]

^p Hoc syllogismo ipsissimam apostoli argumentationem conti-

Hinc porro infert apostolus, et Judæis et Græcis confugiendum esse ad aliud plenioris misericordiæ fœdus; nempe fœdus illud in Christi Jesu sanguine stabilitum, in quo non temporalis tantum, sed αἰώνιος λύτρωσις καὶ σωτηρία, Heb. v. 9. et ix. 12. plenissima ac perfectissima omnium peccatorum, etiam gravissimorum, remissio, cum vitæ æternæ donatione conjuncta, omnibus iis promittitur, qui ex fide in Christum a peccatis istis ex animo resipuerint, seque Deo et sanctæ vitæ dicaverint. Nimirum idem hic tam in gentes quam Judæos urget Paulus, quod alias Judæos imprimis serio monuerat, Act. xiii. 38, 39. his verbis; *Notum igitur sit vobis, fratres, annuntiari vobis remissionem peccatorum per istum* (Christum sc.), *et ab omnibus, a quibus non potuistis per legem Mosis justificari, per hunc credentem quemvis justificari*; ubi duo videtur apostolus affirmare, nempe, non tantum per Jesum remissionem peccatorum, spiritualem sc. (quam lex non omnino concessit,) annunciari; sed et credentem justificari in ipso ab omnibus, a quibus nemo per legem Mosis (ne carnaliter quidem) justificari poterat. Ac de primo apostoli argumento hactenus.

C A P. IX.

59

Alterum apostoli argumentum ab infirmitate legis, sive a gratiæ auxiliaris defectu in lege sumptum. Loca quædam eo spectantia notantur. Imprimis cap. vii. Epistolæ ad Romanos latius aperitur. Clare ostenditur, Paulum ibi agere de homine sub lege constituto, et evangelii gratia

neri, aliquot argumentis adstruxit doctissimus auctor in *Examine Censuræ, Respons. ad Animadvers. XIX.* GRÆÆ.

destituto. Argumentis pro contraria parte respondetur. Exponitur locus ad Galat. v. 17.

1. ALTERUM argumentum, quo Paulus impossibilitatem justificationis ex lege Mosaica liquido demonstrat, quodque totam legem ex æquo respicit, sumitur ab altero fœderis istius defectu, gratiæ scilicet adjuvantis sive auxiliaris: nempe, sicuti lex vetus nullam præteritis peccatis veniam indulsit plenam ac perfectam, ita neque auxilium futuris præcavendis sufficiens suppeditavit. Multus est in hoc argumento ac frequens apostolus, ostendens, Legem ex se valde infirmam esse, viribusque plane destitutam, quibus miseri homines a peccati dominio atque inolita peccandi consuetudine ad veram, Deo gratam, ac saluti-feram justitiam perducantur⁹.

2. Huc pertinet locus ille nobilis Rom. viii. 3. Τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ νόμου, ἐν ᾧ ἡσθένει διὰ τῆς σαρκὸς, ὁ Θεὸς τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν πέμψας, ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἀμαρτίας, καὶ περὶ ἀμαρτίας, κατέκρινε τὴν ἀμαρτίαν ἐν τῇ σαρκί. Τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου bene transtulit Latinus, *Quod impossibile erat legi*; casus enim patrius, talibus adjectivis additus, idem valet quod dativus; ἐν ᾧ valet hic *quia*, vel *in quantum*; ἡσθένει, *infirmum erat*, minus potuit; διὰ τῆς σαρκὸς, *quia caro*, i. e. *carnales hominum affectus vires ejus retulerunt*; ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἀμαρτίας, *in similitudine carnis peccato obnoxia*; καὶ περὶ ἀμαρτίας, *propter peccata*, ut idem significet, quod διὰ τὰ παραπτώματα, Rom. iv. 25. vel, ut alii, *sacrificium pro peccatis*, ut Heb. x. 6. et xiii. 11; κατέκρινε τὴν ἀμαρτίαν ἐν τῇ σαρκί, h. e. *per carnem suam morti traditam interfecit peccatum*; vel *per*

⁹ Adversarium negantem, quod apostolus isto usus fuerit argumento, refutavit vir reverendus in Examine Censuræ, Respons. ad Animadvers. XX. GRABE.

oblationem illam carnis suæ interfecit peccatum in carue uostra; κατακρίνειν enim hic per metonymiam antecedentis pro consequente dicitur pro *interficere* ^r, sicut κατάκριμα pro *morte*; quia damnati interfici solent: *interfecit* vero, i. e. interficiendi nobis vires præstitit; interficere est efficientiam adimere: simplicissimus itaque loci sensus hic est; Lex nullo modo potuit carnales hominum affectus reprimere, aut a vi ac tyrannide peccati inhabitantis ipsos liberare, atque ad veram justitiam perducere: hoc præstare potuit ac revera præstitit solus Dei Filius, qui non solum merito mortis suæ mortem æternam peccatis nostris debitam a nobis abstulit, sed et ejusdem mortis vi atque efficacia effecit, ut uos ipsi peccato moreremur, ac Deo veræque justitiæ viveremus, vel, ut mox sequitur ver. 4. *ut justitia legis impleretur in uobis.*

3. Idem voluit auctor Epistolæ ad Hebræos, cum ἀθέτησιν προαγούσης ἐντολῆς, *abolitionem præcedentis mandati* necessariam esse concludit διὰ τὸ αὐτῆς ἀσθενὲς καὶ ἀνωφελές, *propter ipsius infirmitatem atque iuutilitatem* vii. 18. Ἐντολῇ enim poni videtur pro tota congerie ἐντολῶν, præceptorum Mosaicorum, seu pro tota lege Mosis, etsi de lege imprimis ceremoniali sermo ibi fiat; quod apertius adhuc docet divinus ille Scriptor cap. viii. 7. ubi de toto atque integro fœdere Mosaico locutus, dicit ipsum non fuisse ἄμεμπτον, omnino *inculpabile*, seu ab omni prorsus defectu liberum, adeoque innuit, fœdus illud defectu aliquo laborasse. Qualis autem defectus iste fuerit, ex verbis Jeremiæ ostendit ver. 9. quod scilicet infirmum erat pactum illud, iisque destitutum auxiliis, quibus fœderatos in officio contineret, atque

^r Vide Grotium in locum.

efficeret, ut in mandatis ipsius persisterent: cum enim Deus apud prophetam dicat, Se ideo fœdus Mo-
saicum aboliturum, aliudque in ejus locum suffectu-
rum, quod Judæi in fœdere isto non perstitissent; manifeste innuit, illud ipsum, quod populus Judaicus
60 in fœdere divino non perstiterit, non solum ex populi vitio, sed ex aliquo fœderis ipsius defectu accidisse; quæ enim alias pactum ipsum tollendi necessitas? quid opus novo?

4. Sed non necesse est ut ad hanc rem illustrandam loca hinc illinc, quasi carptim, proferamus, cum ad manum sit integrum Epistolæ ad Romanos caput, in quo materiam hanc ex professo tractat apostolus, caput scilicet septimum; ubi postquam magnum illud aperuerat mysterium, (primo omnium apostolorum ipsi inter multa divinitus patefacta 2 Cor. xii. revelatum,) nempe, non solum gentes conversas, sed etiam ipsos Judæos, qui Christi fidem amplexi essent, non amplius obligari vinculo legis per Mosen datæ, sed ab ea obligatione perinde liberos esse, ac mulier libera est a matrimonii vinculo, mortuo marito, versibus quatuor prioribus; incipit tandem ver. 5, 6. quale quantumque sit hoc beneficium ac privilegium ostendere, ut Judæos ad illud ambabus (quod aiunt) ulnis amplexandum accenderet. Verba sunt, Ὅτε γὰρ ἡμεν ἐν τῇ σαρκί, *Quando sub carnalis legis pædagogia eramus*, (sic enim verba ista exponenda esse, patet ex antithesi ad sequentia, Νυνὶ δὲ κατηργήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου,) τὰ παθήματα τῶν ἀμαρτιῶν τὰ διὰ τοῦ νόμου, (supple cum Chrysostomo φαινόμενα, aut γνωριζόμενα, vel etiam γινόμενα) ἐνηργεῖτο ἐν τοῖς μέλεσιν ἡμῶν, *perficiebantur in membris nostris universis, eis τὸ καρποφορῆσαι τῷ θανάτῳ, ut ex lege hunc solummodo fructum perceperimus, ut per peccata contra eam*

admissa æternæ morti simus obnoxii: Nunî δὲ κατηγορήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου, Nunc vero liberati sumus a lege, ἀποθανόντος^s ἐν ᾧ κατειχόμεθα, i. e. soluto legis vinculo, quo antea tenebamur, ὥστε δουλεύειν ἡμᾶς ἐν καινότητι πνεύματος, καὶ οὐ παλαιότητι γράμματος, i. e. ut non amplius in carnalibus ceremoniis atque externis tantum exercitiis sanctissimo serviremus Numini; sed ad veram illam vitæ novitatem, atque internam animi puritatem, quæ veteris legis finis ac complementum erat, perveniremus.

5. Observandum est hic, quod apostolus non contentus dicere, Legem non valuisse ad pravos hominum affectus tollendos, rem in contrarium deducat suo more; ut probet, non solum legem ad auferendas malas cupiditates non profuisse, sed et per accidens iis excitandis atque inflammandis inserviisse. Illud innuit his verbis: Τὰ παθήματα τῶν ἀμαρτιῶν τὰ διὰ τοῦ νόμου scilicet affectus isti mali non solum per legem innotuerunt, sed et ex lege aliquo modo ortum suum, aut saltem incrementum, sumpserunt. Quippe Adam ille noster vetus, et voluptuarius peccati animus, inhibitione legis irritior factus, ut suo apte ingenio nititur in vetitum, vim suam cœpit exerere, dum rei vetitæ desiderio furit ardentius atque insauit. Vel, ut alii volunt, quia lex quædam peccata, præsertim interna, qualis est cupiditas rei vetitæ, nullis pœnis coercebat, hinc homines, ἀφορμὴν λαβόντες, ver. 8. *arrepta ansa* atque occasione peccandi, secure et cum spe impunitatis, hujusmodi internis immunditiis fræna laxarunt. Utut sit, certum est, apostolum statuere, legem Mosaicam huic pravæ cupiditatis morbo non tantum remedium nullum adhi-

^s [Griesbach legit ἀποθανόντες, at inter V. L. prætermisit Origen. in loc. vol. IV. p. 579.]

buisse, sed etiam morbum istum, ex quo lex lata erat, in pejus fuisse dilapsam.

6. Hoc autem dictum quia Judæis odiosum poterat videri, iisque ansam præbere sugillandi apostolum, quasi doceret, legem esse causam peccati, atque ob id malam; ideo ver. 7. objectionem hanc prudenter anticipat diluitque, ostendens, Legem hinc ab omni culpa per se alienam esse, quippe quæ omne id quod legis est præstiterit, prohibendo peccata, imo et interna peccati desideria, quæ, absque lege esset, peccata fuisse homines vix ac ne vix quidem agnovissent. Quid ergo? quod homines post latam legem pejores evasissent, id ex genio legis non acciderat, sed vitio hominum ipsorum, sacrosancta lege abutentium. In his immoratur apostolus usque ad ver. 13. ubi novam objectionem ex prioris solutione ortam proponit his verbis; *Ergone quod bonum est, mihi factum est mors*, i. e. causa mortis? Respondet apostolus, *Μὴ γένοιτο, absit*, ut causa mortis dicatur, cum sit tantum occasio quædam; neque id data, sed arrepta. Sed peccatum est vere ac proprie causa mortis illius, sive potius carnales hominum vitiis mancipatorum affectus, legi *πνευματικῆ* contrarii ac repugnantes; unde factum est, ut cum norint legem, atque adeo ipsi obedire vellent, cupiditatibus tamen abrepti non possint, ver. 14, 15. Deinde ab hoc ipso argumentum trahit, quo sanctitatem legis vindicaret; quod scilicet ipsimet mali homines eam, dum transgrediuntur, approbent, conscientia sua ob peccata contra eam admissa ipsos surdis verberibus flagellante, ver. 16. Atque in hac lucta inter mentem et membra, inter conscientiam et carnem hominis sub lege constituti, et gratia evangelica destituti, (figurate quidem et in propria persona,) magnificentissimis ver-

bis describenda pergit apostolus usque ad finem capitis; exinde autem cap. viii. 1, 2. repetit ea, quæ dixerat cap. vii. 5, 6. (unde usque ad initium capitis octavi, ad respondendum objectioni ver. 7. capitis septimi factæ, manifestam digressionem fecerat,) nempe, tum vinculum legis Mosaicæ solutum esse, neminemque propter non observatas ejus ceremonias damnatum iri, qui modo viam illam vitæ spiritualis in evangelio præscriptam incedat, ver. 1; tum omnes vere Christianos per evangelium ab isto peccati dominio esse liberatos, a quo ut liberarentur per legem Mosaicam nulla erat vel spes vel possibilitas, ver. 2, 3, 4.

7. Est hæc hujus capitis analysis sive resolutio adeo facilis ac perspicua, ut mirum sit ac pene prodigii instar habendum, reperiri viros doctos qui apostolum in posteriori ejus parte statum hominis rege-niti, ac sub gratia evangelica constituti, describere somnient. Ea certe sententia, præterquam quod a sensu omnis fere antiquitatis ante Augustinum aliena sit, imo et ab ipso Augustino aliquando rejecta fuerit^s, laborat etiam gravibus incommodis (ne quid gravius dicam) atque absurditatibus plane palpabilibus.

8. Primo enim supponit, apostolum sermonem hic interserere plane ἀπροσδιόνυσον, et ab instituto suo remotissimum. ^tEtenim luce clarius est, ipsum circa initium capitis loqui de inefficacitate legis ad homines a peccati dominio liberandos; imo ostendere tantum abesse ut lex id præstet, ut e contra vim pravæ cupiditatis irritet atque augeat. Ex ea doctrina,

^s Plurima S. Patrum nomina atque testimonia allegata vide in Apologia contra Tullium, IX. 3. seqq. GRABE.

^t Confer dictam Apolog. contra Tullium, IX. 11. ubi hoc argumentum ab ejus exceptionibus vindicatur. GRABE.

non ex ulla alia nascuntur objectiones, quas apostolus ver. 7. et 13. discutiendas suscipit. Est autem omnino absurdum atque abhorrens, apostolum objectionibus ex legis inefficacitate in iis, qui gratia evangelii carent, descriptione et repræsentatione status sui sub evangelio respondere. Deinde, cum in confesso sit apud omnes, apostolum a ver. 7. usque ad ver. 14. loqui de statu hominis qui est sub lege; quænam, obsecro, idonea ratio vel fingi potest, cur statuamus, eum in versu 14. et 15. mutare institutum? præsertim cum verba versus 14. manifestam antedictorum rationem contineant, ut ex causativa particula *γὰρ*, qua versus iste superioribus connectitur, clare liquet. Jam vero objectio ver. 13. proposita hæc erat, Rem esse miram, ut lex ea, quæ sua natura sancta et bona est, causa mortis cuiquam esse possit: "ad eam igitur objectionem dissolvendam, quid, quæso, faciet quod versibus sequentibus comprehenditur, si apostolus ibi de regeneratione sua loquitur; quandoquidem in statu regenerationis suæ non amplius sub legis dispensatione constitutus est, neque quicquam commercii cum ea habet? ratiocinatio illa, quæ conditionem hominis sub evangelio degentis repræsentat, eone quicquam pertinet, ut ostendatur, legem non esse causam mortis iis, qui vivunt sub œconomia legali? instituatur paraphrasis ver. 13, 14 et sequentium, ad normam hujus interpretationis, et pro mire concinnata apostolici sermonis serie arenam plane sine calce reperies^x.

9. Quod ergo objici solet de mutatione temporis

^u Vide Amyrald. Consider. 2. cap. vii. ad Roman. p. 23, 24.

^x Paraphrasin talem ipse auctor instituit, hocque argumentum contra Tullium prolixè defendit in Apologia, IX. 12. seqq.

in ver. 14. adeo leve est, ut merito pudeat viros graves tali argumento pugnare. Quid enim? quia apostolus a tempore præterito ad præsens transiit, ideone statuendum erit, ipsum etiam a proposito suo in materiam ab eo remotissimam recessisse? quis nescit, hanc temporum mutationem, vel in eodem orationis contextu, omnibus fere Scriptoribus satis familiarem esse; maxime cum res, de qua agitur, eadem, quæ erat, adhuc maneat? quid, quod ratio hujus mutationis ex ipso contextu satis manifesta sit? apostolus enim ver. 9. hominem hic repræsentatum consideraverat in eo statu, quo erat priusquam legem accepisset. Deinde in sequentibus usque ad ver. 14. eventum ostendit qui homini isti post acceptam legem contigit; quod sc. et majoris culpæ reus et graviori pœnæ obnoxius per legem factus fuerit. Hucusque igitur par erat, ut apostolus præterito tempore uteretur; at ver. 14. causam ostendit, cur ex lege aliud in homine consequatur, quam id quod per se lex propositum habet; Alia, inquit, est natura legis, alia hominum qui sub lege sunt; lex est spiritualis, a Deo Spiritu profecta, et spirituales vivendi rationem præscribens; at homo sub lege constitutus carnalis est, et carnis affectibus plane mancipatus. Non autem conveniebat, ut apostolus causam præsentem commonstrans in tempore loqueretur præterito, aut diceret, *Lex erat spiritualis, sed ego eram carnalis*; quin dicendum erat potius in præsentem, *Lex est spiritualis, ego sum carnalis*; ut cuivis rem attendenti facile liquebit.

10. Neque ista sententia sermonem affingit apostolo ἀπροσδιόνσων tantum, sed et ipsi contrarium ac

y De iis quæ hac sect. 9. continentur, confer laudatam Apologiam loc. cit. §. 15. GRABE.

repugnantem. Certe enim quæ de persona in hoc capite descripta dicuntur, ita ex diametro repugnant iis, quæ paulo ante cap. vi. et postea statim cap. viii. nec non alibi, homini regenito ab apostolo tribuuntur, ut luci cum tenebris, vitæ cum morte, cœlo cum inferis melius conveniat quam his secum invicem. De homine hic descripto dicitur, *Ego sum carnalis*, ver. 14; at de regenito dicitur, quod *non secundum carnem ambulet, sed secundum spiritum*, viii. 1. De homine hic descripto dicitur, quod *peccato plane mancipatus sit*, instar eorum, qui venditione toti traduntur in domini alicujus imperium ac potestatem, ver. 14. (cui simile de Achabo, non tantum regum, sed et mortalium fere pessimo, dicit Scriptura, ubi in Græco est ἐπράθη ποιῆσειν τὸ πονηρὸν^z, 1 Reg. xxi. 20.); at de regenito affirmatur, quod *liberatus a peccato, servus factus sit justitiæ*, vi. 18. Homini hic descripto cognitionem quidem atque inefficacem boni velleitatem tribuit apostolus; facultatem vero quod bonum est faciendi omnino detrahit, ver. 18, 19; at de regenitis omnibus affirmat apostolus, quod in iis Deus et τὸ velle, et τὸ perficere operetur, Phil. ii. 13. et de seipso, quod per gratiam Christi omnia potuerit, Phil. iv. 13. Denique de homine hic descripto dicitur, quod *lex membrorum captivum eum reddat legi peccati*, ver. 23; at de regenito affirmatur mox viii. 2. quod *lex Spiritus vitæ in Christo liberavit eum a lege peccati et mortis*^a.

11. Quod nonnulli dicunt^b. Paulum de se hæc

^z [πέπρασαι ποιῆσαι τὸ πονηρὸν.]

^a Hujus sectionis argumentum, ejusque deductionem, egregie defendit auctor loco cit. §. 16. et 17. GRABE.

^b Paræus, in Rom. vii. 14. [p. 473.]

omnia jure affirmare potuisse, “ Respectu infirmitatum istarum, quibus et sancti obnoxii manent, “ quamdiu in carne vivunt, licet iis non sint lethales, quoniam reluctantibus et deplorantibus eas non “ imputantur, sed remittuntur propter Christum,” illud (inquam) omni probabilitatis specie caret. Quis enim credat, *hominem carnalem esse, peccati ver-nam, ad faciendum quod bonum est inhabilem, legi peccati captivum duci, legi peccati servire*; quis, inquam, credat, his omnibus nihil aliud significari quam infirmitates istas, quæ vel sanctissimis in hac vita adhærere solent? Quibus verbis poterat Paulus hominis statum pessimis vitiis mancipati significantius exprimere? quanto intervallo distat hæc phrasium istarum interpretatio a manifesto et ubique alias in S. Scripturis usitato earum sensu? denique quid est, si hoc non sit, Pauli verba *στρεβλωσαι*, ac vim S. Scripturis manifestam facere?

12. Age, jam ratiunculas illas, quibus contraria interpretatio propugnari solet, discutiamus. Eas proponit ac pro virili defendit Paræus in explicatione hujus capituli^c: 1^o. “ Manifestum est,” inquit, “ de se, “ non de alio loqui apostolum, quia continuat querelam de se in prima persona per totos duodecim “ versus, *Ego sum carnalis*, &c. nec apice ullo innuit, de alio sibi sermonem esse. Nimis ergo audax erit fictio, et depravatio manifesti textus, sic “ torquere verba, *Non ego sum*, sed, *alius quidam “ est carnalis*,” &c. Resp. Frigidum sane argumentum, magno fervore prolatum. Quis enim in Paulinis Epistolis adeo peregrinus est, ut nesciat hunc *μετασχηματισμὸν*, quo in sua persona quæ ad

^c In explic. cap. vii. ad Rom. dub. 4. p. 492, 493, 494.

alios pertinent exprimere gaudet, esse figuram apostolo satis familiarem^d? Certe luculentissimum hujus loquendi formulæ exemplum habemus 1 Cor. iv. 3, 4. coll. cum ver. 6. ibi enim apostolus aperte dicit se μετασχηματίζειν; similia vide Rom. iii. 7. 1 Cor. vi. 12, 15. et x. 23, 29, 30. Gal. ii. 18; nec male a veteribus notatum, hoc schema apostolo tunc usitatissimum fuisse, cum modestiæ causa res odiosas sic exprimere voluerit; sic Chrysostomus, Ἄει τὰ φορτικὰ ἐπὶ τοῦ οἰκείου προσώπου γυμνάζει et Hieronymus ad Danielelem, “ Peccata populi, quia unus e populo fuit, enumerat persona sua; quod et apostolum in Epistola ad Romanos” (ad hunc locum verosimiliter alludit) “ facere legimus.”

13. Urget Paræus^e, “ Reperiri quidem in Scripturis personarum enallagen; sed eam quovis loco “ ex textu facile liquere, hic vero nullo modo liquere.” Imo vero, inquam ego, si ullo in loco liquet, certe hic liquido liquet; ut enim taceam allata jam argumenta, quæ hanc figuram plane necessario postulant, cum apostolus satisfacere vellet isti objectioni, legem esse causam peccati, atque respondere, tantum abesse ut peccati causa sit, ut ea sola peccati naturam accurate solideque demonstraret, ait, Se, absque lege esset, quid sit concupiscentia nunquam fuisse cogniturum, et olim cum esset χωρὶς νόμου, sine lege, eam a se minime fuisse cognitam, ver. 9. Equidem illud, esse χωρὶς νόμου, in apostoli scriptis gentilium statum et conditionem significat, vel eorum, qui lege scripta carent, ut opponitur eorum conditioni, qui vivunt sub œconomia

^d De his vide dictam sect. IX. 19. GRABE.

^e Ubi supra.

legali. Vivere enim *χωρὶς νόμου* et *ἀνόμως* vel *ἄνομον*, idem significant, vide Rom. ii. 12. et 1 Cor. ix. 20, 21; nunquam autem certe apostolus eo modo sine lege fuit, siquidem Judæus erat genere, a teneris unguiculis Gamalielis discipulus, qui legis doctrinam una cum lacte suxerat. Necesse est igitur, ut statuamus, apostolum in sua persona voluisse repræsentare statum Judæorum; primo quales fuerint *χωρὶς νόμου*, ante legem latam; dein, quales facti sint *ἐλθούσης τῆς ἐντολῆς*, postquam lex data esset. Quod si sermonem ab hac personarum enallage auspicatus est, quæ ratio nos eo inducat, ut credamus, eum ab illa destitisse in versibus sequentibus^f?

14. Respondet hic Paræus^g, “Paulum dicere, se *χωρὶς νόμου* fuisse, non quod legem non haberet, aut ignoraret; sed quia negligentius consideraret, non intelligens concupiscentias omnes per eam damnari “tanquam mortalia peccata.” Sic verba illa, *ἐλθούσης τῆς ἐντολῆς*, veniente præcepto, ita exponit; “Id dicit “sibi venisse, non quod prius non habuerit, sed quod “prius non intellexerit; quæ enim habemus, nec “intelligimus, quasi non habemus.” Sic ille. Sed quis jam depravationis manifesti textus reus sit, iudicet æquus lector. Nam 1°. quis unquam dixerit, eum sine lege esse, qui cum legem habeat, nec ignoret, eam non penitius intellexerit? Sacra certe Scriptura ita nunquam loquitur; unicum exemplum postulo. 2°. Quid sibi velint verba ista, *ἐλθούσης τῆς ἐντολῆς*, in proclivi est statuere ex loco huic gemino, Rom. v. 20. *Νόμος δὲ παρεισῆλθεν ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα*: quis non agnoscit locum, de quo agitur, huic

^f De hujus et sequentis sectionis argumento vide Apolog. l. c. §. 20. GRABE.

^g In ver. 9. [p. 464.]

plane similem? quod enim hic dicitur, νόμος παρεισήληθεν, ibi exprimitur per ἐλθούσης τῆς ἐντολῆς: quod hic, ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα, ibi ἡ ἀμαρτία ἀνέζησε. At ingressum legis in loco Rom. v. non spirituales legis intellectum, sed primum ejus in mundum ingressum, sive hominibus dationem significare, nimis manifestum est; idem ergo significat adventus præcepti in loco altero. 3^o. Denique quæro, quo tempore Paulus se *sine lege*, h. e. sine vera legis intelligentia vixisse affirmet? huic quæstioni ex professo respondet Paræus in explicatione dubii tertii hujus capituli, his verbis; “^h Aut de prima, aut de media, aut de præsentem sua ætate loquitur: de præsentem quod non loquatur, constat; nec de pueritia sua; effecta enim, quæ tribuit peccato et legi, in pueritiam non cadunt: nec loquitur de elementari tantum legis notitia; sed qualis est adultorum, imo doctorum legis, de quibus supra, ii. 17; de ætate igitur media, quam in pharisaismo exegit, eum loqui manifestum est.” Et in sequentibus contendit, Paulum per totum illud tempus dicto sensu *sine lege* fuisse. Ex his autem Paræi verbis sic argumentor; Si Paulus, quamdiu in pharisaismo vixerit, sine lege fuit, ergo tum demum ad eum venit præceptum, cum ad fidem Christi adductus fuerit. Atqui illud verbis Pauli ipsius clare repugnat, qui dicat, *veniente præcepto, peccatum in se revivisse, se vero mortuum fuisse; legem ei in mortem cessisse; peccatum, arrepta ex lege occasione, ipsum occidisse*, ver. 9, 10, 11; quæ omnia Paulo ad Christum converso accidisse, nemo satis sanæ mentis dixerit; sed ita nimirum viri docti,

^h Vid. etiam Calvin. in locum.

dum claris Scripturæ verbis vim inferunt, crucem etiam sibi ipsis et lectoribus suis solent figere, qua suspensi utrique hæreant. Ex his autem liquere arbitrator, plusquam apice aliquo innui, apostolum in hoc capite non de se loqui, sed alienam personam sustinere. Atque ad primum argumentum plus satis.

15. Secundo objicit idem vir doctusⁱ, “ Velle bonum, nolle malum, odisse peccatum, non est nisi renatorum. Apostolo in hac lucta adjacet velle bonum ver. 15, 18, 19, 21 ; nolle et odisse malum ver. 15, 16, 19, 20 ; loquitur igitur ut renatus.” Resp. Velle quidem bonum fortiter et constanter, certoque animi decreto ac proposito, non nisi renatorum est. At de tali volitione manifestum est apostolum non loqui, sed tantum *de velleitate quadam*, levique et evanido boni desiderio, quale (proh dolor!) in nimis multis, qui boni non sunt, reperiri solet. Verum esse, quod dicimus, hinc liquet, quod apostolus discrimen hic statuatur inter duo illa τὸ θέλειν et κατεργάζεσθαι καλὸν, *velle bonum et bonum perficere*, ver. 18^k ; quum autem duo ista sic distinguuntur et opponuntur inter se, adeo ut facultatibus nostris attribuantur quidem τὸ *velle*, τὸ *perficere* haudquaquam ; *velle* significat inclinationem quandam ac propensionem duntaxat, non autem voluntatem definitam, vehementem, absolutam et constantem ; talis enim certe voluntas actionem post se necessario trahit. Ait ergo Paulus, inclinari se quidem ac propendere bonum versus ; at non ita definite tamen, et vehementer, et constanter ac perseveranter id velle, ut actio sequatur ; neque id se assequi posse confirmat. Isne igitur est regenerationis illius prope

ⁱ [P. 492.]

^k Vide Amyrald. Consider. cap. vii. ad Roman. p. 41.

divini viri status, ut ad pietatem et virtutem leviter inclinetur; nunquam tamen id a se impetrare queat, ut earum officiis defungatur? Idem fere esto iudicium de odio illo peccati, de quo loquitur apostolus; ¹concedatur enim certe phrasi isti quantumlibet magna emphasis; attamen nemo malum odit eo ipso momento quo id perpetrat. Nunquam quisquam concupiscentiæ illecebris ad peccandum pertractus fuit, qui peccaret invitus; ista enim directe inter se pugnant, ut quisquam invitus peccet, et tamen concupiscentia ad peccandum pelliciat. Omne igitur istud odium, quo homo hic repræsentatus malum prosequatur, spectat ad illud tempus, quo concupiscentia vel nondum in ipso objectorum præsentia commota erat, vel nondum rationis repugnantiam superaverat. Postquam concupiscentia prævaluit, prorsus necesse fuit, ut toto illo tempore, quo rationem subjectam tenuit, odium illud mali cessarit. Egregiam vero laudem, sic esse regeneratum, ut malum odio habeamus, cum nulla nos perturbatio, nulla appetitus commotio ad id perpetrandum impellit; id vero statim ac mali committendi occasio sese obtulit, nosque ad id perpetrandum sollicitavit aliqua cupiditas, ex animo diligamus! Quis nescit, hocce mali odium non raro etiam in pessimis reperiri? quis autem miretur, hujusmodi luctam in Judæo, lege Dei imbuto, reperiri, qui eandem etiam in pagano inveniat? Locus est insignis Senecæ, Epist. 52. “ Quid est hoc, Lucili, quod nos alio tendentes alio
 “ trahit, et eo, unde recedere cupimus, impellit?
 “ quid colluctatur cum animo nostro, nec permittit
 “ nobis quidquam semel velle? fluctuamus inter

¹ Vide Amyrald. p. 38. et 37.

“ varia consilia : nihil libere volumus, nihil absolute, “ nihil semper;” et tritum est illud poetæ, Medeam ita loquentem inducentis,

—Video meliora proboque,
Deteriora sequor;—

Ut non incommode pagano homini hæc verba tribuerit Lactantius^m; “ Volo equidem non peccare, “ sed vincor; indutus sum enim carne fragili et imbecilla. Hæc est, quæ concupiscit, quæ irascitur, “ quæ dolet, quæ mori timet : itaque ducor invitus; “ et pecco, non quia volo, sed quia cogor : sentio me “ et ipse peccare ; sed necessitas fragilitatis impellit, “ cui repugnare non possumⁿ.”

16. Unum illud addam ; sumatur hic descriptio hominis renati ab ipso Paræo data^o; “ Renatorum,” inquit, “ est, peccatum nolle et aliquando facere, bonum velle et plerumque facere;” et si hæc descriptio homini in hoc capite representato cum ulla veritatis specie aptari possit, obtineat (per me licet) Paræi interpretatio ; at quomodo, quæso, is peccatum ita nolit, ut aliquando tantum faciat, qui peccati plane mancipium sit ? quomodo is bonum ita vult, ut plerumque faciat, qui quomodo bonum faciat οὐχ εὐρίσκει, h. e. (ut ex antithesi ad præcedens verbum παράκειται liquet,) a quo bene agendi vis ac facultas longissime absit ? unde ipse Paræus ad ver. 19. *Non enim facio bonum quod volo, &c.* concedit, etsi non perpetuo, tamen ὡς ἐπὶ τὸ πολὺν, ejusmodi ἐναντίωσιν (qua scilicet bonum quod voluit non fecerit, malum fecerit quod noluit) passum fuisse

^m De vera Sapien. IV. 24.

ⁿ Quæ contra hanc sectionem objecit D. Tullius, refutata vide in Apologia contra ipsum IX. 21, 22, 23. GRABE.

^o Explic. dub. 4. in resp. ad arg. 2.

apostolum, et pati renatos; ita egregie sibi ipsi contradicens.

17. Tertio objicitur, “ Consentire legi quod bona sit, et spirituali ejus obedientia delectari, est reatorum proprium, Psal. i. 2. et cxix. 77, 103: apostolus in hac lucta consentit legi quod bona sit ver. 16. et spirituali ejus obedientia delectatur ver. 22; loquitur igitur ut renatus.” Resp. Quod ad consensum attinet legi divinæ præbitum, nihil manifestius est, quam illum regenitis cum irrogenitis communem esse. Qui id negat, pari jure neget, esse ullum hominis irrogeniti contra dictamen conscientiae peccatum: quoties enim quis peccat contra conscientiam, eam legem transgreditur quam in animo suo convictus est bonam esse, nec violari debere; hoc igitur argumenti membrum ab ipso communi sensu atque experientia satis liquido refellitur. Alterum objectionis membrum discutiamus; atque hic miros canunt triumphos adversarii, quasi victoria jam potiti; sic enim Paræus^p in verba illa, *Delector enim lege Dei*; “ Hoc desiderio,” inquit, “ manifeste se ab incontinentibus philosophorum discernit, et se spiritualementestatur, licet carnalem prius dixerit; neque enim quisquam, nisi spiritualis, lege Dei delectatur.” Sed hoc aliquid, quo tumet vir doctus, plane nihil est; nam 1^{mo}. Συνήδομαι τῷ νόμῳ, 65 idem plane videtur esse ac σύμφημι τῷ νόμῳ, ver. 16. quod significat *consentire legi*^q; ut hic sit metonymia consequentis pro antecedente, *gaudere pro approbare*; quia quæ approbamus, iisdem etiam gaudere solemus. Unam certe et eandem legis

^p [P. 479.]

^q Hæc carpenti Tullio respondit cl. auctor in laudata apologia, l. c. §. 24. GRABE.

approbationem variis vocibus exprimit apostolus ; sic infra ver. 25. τῷ νοῦ δουλέειν νόμῳ *mente servire legi Dei* ; ubi *servire* non est actu atque opere ipso obedire legi, (id enim mentis non est,) sed consentire legi tanquam justæ, sanctæ et bonæ, atque agnoscere omnimodam ipsi obedientiam deberi ; hanc autem legis approbationem etiam in irrogenitum cadere modo vidimus. 2º. Concesso, vocem hanc *delectationem* proprie dictam notare, Paræum id nihil juvat ; quid enim, si, ut bonum velle irrogenito competere ostendimus, sic etiam bono gaudere ac delectari in eundem cadere affirmemus ? certe nihil novum aut a prioribus diversum affirmaremus ; quatenus enim quis quid vult, eatenus etiam eo gaudet ac delectatur ; nec possunt hæc a se invicem disjungi. Quid, quod S. Scripturæ hoc gaudium etiam in irrogenitis aliquando reperiri diserte testantur ? sic Herodes dicitur conciones sancti Baptistæ ἡδέως, *suaviter*, ac non sine magna animi voluptate *audivisse*, Marc. vi. 20 ; Judæi dicuntur ἀγαλλιασθῆναι ἐν τῷ φωτὶ αὐτοῦ, *præ gaudio exultasse in luce ejusdem Johannis*, Joan. v. 35 ; temporarii *verbum cum gaudio suscepisse*, Matt. xiii. 20. Qui in locis istis dicunt non veram ac solidam legi Dei condelectationem intelligi, sed fluxam atque evanidam ; cur non vident eandem responsionem æque, imo multo magis, huic loco accommodam esse ? certe enim homini hic representato non firmam et constantem in lege Dei delectationem tribuit Paulus, sed ejusmodi, quæ, cum offerant sese carnis illecebræ, ab iis adeo vincitur atque absorbetur, ut miser homo tandem legi peccati, quæ est in membris, plane captivus abducatur, ver. 22, 23 : hujusmodi autem legi divinæ

condelectationem homini irrogenito quis invidet? quis tribuat regenito?

18. Objicitur quarto, “Soli renati habent hominem interiorem, i. e. novum; apostolus in hac lucta habet hominem interiorem, (nam secundum eum ait *Se delectari lege Dei*,) loquitur igitur ut renatus.” Resp. Argumentum hoc falso nititur supposito, sc. hominem interiorem et novum idem apud apostolum significare; quod a vero longissime abest^r. Nam (ut optime notat Grotius^s) non idem est *ὁ ἔσω ἄνθρωπος* et *ὁ καινός*, nec idem *ὁ ἔξω* et *ὁ παλαιός*. Vetus et novus homo nomine subjecti significant ejus qualitates; at cum dicitur *ὁ ἔσω* et *ὁ ἔξω ἄνθρωπος*, nomen totius per synecdochen datur partibus; itaque *ὁ καινός ἄνθρωπος* est homo renovatus; *ὁ παλαιός* homo corruptus, h. e. in statu peccati constitutus: *ὁ ἔσω ἄνθρωπος* est anima rationalis; *ὁ ἔξω* corpus cum affectibus corporeis. Liquet illud ex 2 Cor. iv. 16. ubi cum per hominem exteriorem manifestum sit apostolum intelligere corpus suum, quod inedia, vigiliis, carcere, verberibus, omne genus afflictionibus maceratum indies infirmabatur, planum est etiam hominem interiorem, alteri oppositum, significare animam rationalem, partem apostoli meliorem, quæ nullis afflictionibus labefactari potuerit, quin potius ex iisdem melior evaserit, novaque indies pietatis incrementa acquisiverit. Nimirum potuerunt quidem Pauli persecutores corpus ejus flagris cædere, tormentis exercere, imo et occidere; at nihil amplius potuerunt. Non potuit eorum malitia ad animam

^r Distinctionem interioris et novi hominis ulterius probatam vide ibidem, §. 25. GRABE.

^s In locum.

ipsius pertingere; quippe quæ in secunda Dei solius custodia ἐξω βέλους, extra periculum posita fuerit; confer Luc. xii. 4, 5. Sic qui hic ὁ ἔσω ἄνθρωπος, vocatur etiam ὁ κρυπτὸς τῆς καρδίας ἄνθρωπος, I Pet. iii. 4. ubi exterior corporis ornatus opponitur interiori ornatui hominis occulti in corde, i. e. animi. Præterea simul hic ponuntur in eodem homine homo interior et exterior; at ubi novus est homo, ibi vetus esse desiit. Manent quidem nonnullæ veteris hominis reliquiæ etiam in renovatis; sed reliquiæ istæ nunquam (quod sciam) nomine veteris hominis in Scripturis veniunt; siquidem vetus homo notat corpus peccati (ut ita dicam) completum cum omnibus atque integris suis membris. Postremo manifestum est, συνήδεσθαι τῷ νόμῳ κατὰ τὸν ἔσω ἄνθρωπον, ver. 22. idem esse quod τῷ νοῦ δουλεύειν τῷ νόμῳ, ver. 25. idem ergo est ὁ νοῦς et ὁ ἔσω ἄνθρωπος, mens et interior homo; at mentem esse in unoquoque homine, nemo nisi mentis inops negarit. Hæc Paræus, pro more suo satis fastuose contemnens, vocat frivolas ratiunculas: at certe quæ ab eo iis respondentur adeo sunt frivola, ut pigeat ea commemorare; statim ac leguntur, refutantur. Duo præterea a doctissimo Grotio in hunc locum annotata addam; quorum prius est, apostolum hic loqui ex usu aliorum scriptorum; qui hic ὁ ἔσω ἄνθρωπος, a Philone (libro *Pejorem insidari meliori* inscripto) vocatur ὁ ἄνθρωπος ἐν ἐκάστῳ τῇ ψυχῇ κατοικῶν· ubi et eum esse ait, qui ἀφανῶς ἡμᾶς ἐνδοθεν ἐλέγχει. Et libro de agricultura eundem vocat τὸν ἡγεμόνα ἄνθρωπον, additque, ἄνθρωπος, ὁ ἐν ἐκάστῳ ἡμῶν, τίς ἂν εἴη πλὴν ὁ νοῦς; et libro Περὶ τῆς εἰς προπαιδεύματα συνόδου dicit, Deum a nobis laudari debere, ἐπὶ τῷ νῷ, ὃς κυρίως ἄνθρωπός ἐστιν ἐν ἀνθρώπῳ, κρείττων ἐν χείρονι. Imo Paulus hic cum vulgo lo-

quitur; nam et Plautus dixit “salutem interioris
 “hominis.” Posterius illud, a Grotio^t etiam observa-
 tum, hoc est, locum hunc a vetustissimo patre Ter-
 tulliano in eundem plane sensum exponi; sic enim
 ille libro de Resurrectione^u; “Ita vocabulum *homo*
 “consertarum substantiarum duarum quodammodo
 “fibula est; sub quo vocabulo non possunt esse nisi
 “cohærentes. Porro apostolus *interiorem hominem*
 “non tam animam quam mentem atque animum
 “intelligi mavult, i. e. non substantiam ipsam, sed
 “substantiæ saporem.”

19. Objicitur quinto, “Ingemiscere de sua mi-
 “seria ob vim peccati, desiderare liberationem, ag-
 “noscere et celebrare gratiam Dei per Christum,
 “non est nisi renatorum; apostolus suspirat et gra-
 “tias agit de liberatione per Christum, ver. 24, 25;
 “loquitur igitur ut renatus.”

Resp. Si verba ver. 24, 25. quibus nititur hoc ar-
 gumentum, accuratius expendantur, statim appare-
 bit ea pro adversariis nihil facere, quin potius sen-
 tentiam nostram apertissime confirmare; apostolus
 enim, ver. 24. addit exclamationem, sive *ταλαισµόν*,
 homini, qualem in versibus præcedentibus descri-
 pserat, convenientem; miserum et, si legem spectes,
 plane desperatum ejus statum ostendens; deinde
 ver. 25. gratiam Dei per Christum celebrat, qua sola
 a miserrimo hoc statu tum ipse liberatus fuerit, tum
 aliis liberationis via et facta fuerit et patefacta:
 quæ *εὐχαριστία* per *παρενθήκην* est legenda, quasi dicat,

^t Cui consentit Origenes: *ἄνθρωπος, τουτέστι ψυχὴ χρωμένη σώ-
 µατι, λεγομένη ὁ ἔσω ἄνθρωπος*, &c. cont. Cels. l. VII. p. 357. edit.
 Spenceri. [c. 38. p. 721.] Vide et l. II. p. 88. lin. 25. ejusdem
 editionis. [c. 48. p. 423.]

^u [c. 39. p. 349.]

Miserimus sane est hominis sub lege constituti, quem in superioribus descripsi, status; quippe qui corpori mortis, h. e. peccati dominio, atque ob id morti ipsi subjectus sit: at gratiæ immortales et habendæ, et agendæ sunt maximo illi atque optimo Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, cujus ope atque interventu tum ipse ab hoc corpore mortis liberationem consecutus sim, tum alii, si ad mei exemplum evangelium ejus amplectentur, liberationem sint consecuturi: nam (ut mox viii. 3, 4.) dicit, *Quod legi impossibile erat propter carnem, Deus suo ipsius Filio misso, &c. interfecit peccatum in carne, ut justitia legis impleretur in nobis.* Vide jam, si non hæc invictissimum pro nostra sententia argumentum præbeant.

Status hominis in hoc capite descripti est status miseriæ, status peccati ac mortis, status denique a quo quicumque Christi sunt, liberantur:

At status renatorum non est hujusmodi;

Ergo, status renatorum non est status hominis in hoc capite descripti^x.

20. Sextum atque ultimum argumentum a verbis istis versus ultimi desumunt: "Ἄρα οὖν αὐτὸς ἐγὼ τῶ μὲν νοῦ δουλεύω νόμῳ Θεοῦ, &c. Sic enim in verba ista Paræus; "Quod dicit, αὐτὸς ἐγὼ, ipse ego, dubitatio-
 "nem omnem tollit, quod non de alio, sed de seipso,
 "nec de præterito, sed de præsentī statu, qualis
 "erat dum hoc scriberet, loquatur apostolus, *Ego*
 "*ipse*, inquit, non alius aliquis præter me, *servio*,
 "inquit, non *servivi*." Pergit, "Nimis igitur pro-
 "terve Julianus Pelagianus olim de alio quodam
 "nondum renato finxit loqui apostolum. Viderint

^x Quæ hac sectione continentur, contra Tullium defensa vide in Apolog. contra ipsum, IX. 26. et 27. GRABE.

“ proinde, quibus Juliana glossa adeo arridet, quo-
 “ modo ab hac protervia se liberent.” Resp. Nimis
 fuit temerarius Paræus, qui ex levicula hac gram-
 matica ineptia sententiam tot tantisque suffultam
 argumentis tam confidenter rejecerit, ejusque pa-
 tronos proterviæ arguerit. At fefellit etiam gram-
 matica sua virum magnum; etenim ut de præsentī
 tempore nihil dicam, (cum illud ineptum esse cavil-
 lum prius¹ ostenderit,) non est necesse, ut *αὐτὸς*
ἐγὼ reddatur *ipse ego*, cum melius verti possit *ille*
ego, i. e. homo is, quem sub primæ personæ pro-
 nomine descripsi, ut optime notavit Grotius². Itaque
 tantum abest ut pronomen *αὐτὸς* apostolum de seipso
 67 loqui evincat, ut contrarium inde deduci possit.
 Nam de se apostolus si locutus fuisset, verosimiliter
ἐγὼ simpliciter dixisset; neque enim opus fuisset alia
 adjectione; at quia alium quempiam in sua persona
 hactenus descripserat, (interserta tantum *παρενθετικῶς*
 sui ipsius nomine brevicula gratiarum actione, initio
 hujus commatis,) idcirco majoris perspicuitatis gratia
αὐτὸς ἐγὼ, *ille ego*, dicit; ut etiam hæc ultima verba
 non de seipso, (ut immediate præcedentia,) sed de
 eodem illo homine in superioribus delineato intelli-
 gerentur.

21. Porro hæc ultima apostoli verba *ἐμφασιν* ha-
 bent ad probandum illud, in quo hactenus per totum
 fere caput laboraverat, maxime efficacem, et pro epi-
 logo sunt brevissime summam totius præcedentis
 sermonis repetente. *Ἄρα οἶν*, &c. quasi dicat; ut igi-
 tur digressionem hanc (a ver. 7. hucusque continua-
 tam) tandem claudam, cum unus idemque ille homo,

¹ [IX. 9.]

² Hoc assertum reprehendenti D. Tullio respondit, cl. auctor
 loc. cit. §. 28. GRABE.

quem hactenus in propria persona depinxi, carne quidem abreptus legi peccati serviat, mente tamen atque animi ipsius iudicio legi Dei consentiat, ipsique velit obedire; vel hinc manifestum fit tum illud, (cui contrarium, ver. 7. objiciebatur,) scilicet legem in se suaque natura ab omni culpa liberam esse, quin et bonam, puram, ac sanctam esse, ut quod maxime; quippe cujus sanctitatem vel iidem illi, qui eam transgrediuntur, suæ ipsorum conscientiaë calculo comprobent; tum illud etiam, (quod ver. 5. docuimus, et ex quo hæc objiciendi ansam arripere poterant adversarii,) scilicet legem, licet in se sanctam, esse tamen, propter carnales hominum affectus vim ejus retundentes, ad ipsos a peccati dominio liberandos plane inefficacem; utpote quæ intellectum quidem cognitione peccati instruat, at nullas vires carni domandæ, dominioque peccati frangendo pares subministret.

22. Quod addit Paræus de Juliano Pelagiano, vereor ne eo fine ab ipso dictum fuerit, ut hinc odium sententiæ nostræ apud imperitos conciliaret; quasi scilicet monstrosus esset quidam foetus, ab insigni aliquo hæresiarcha in lucem primum editus; cum tamen hanc fuisse sententiam Origenis, et Græcorum patrum fere omnium, et ex parte Latinorum ante Augustinum, atque adeo ipsius aliquando Augustini, et ipse satis norit et alicubi^a in hoc ipsum caput aperte fateatur. Sed hujus scholæ disputatoribus omnes a se, in unico licet S. Scripturæ capitulo, diversum sentientes inter infames continuo hæreticos censere solenne est. Liceat interea mihi piis Grotii verbis uti^b; “Deo laus sit, quod optimi, i. e. trium

^a In ver. 14.

^b In ver. 19.

“ priorum sæculorum, Christiani hunc locum sic, ut
 “ oportet, intellexerint, dictante illo Spiritu, per
 “ quem vita ipsorum regebatur.”

23. Atque in hac gratiarum actione desiisset nostra de cap. vii. ad Romanos disputatio, nisi, præter allata jam ex ipso capite argumenta, restaret adhuc ratio altera a loco parallelo deducta, quæ (meo quidem iudicio) est omnium, quæ pro sententia adversariorum adduci possunt, speciosissima: locum obiter tangit Paræus, sed urget ex professo Estius^c; is est ad Gal. v. 17. Ἡ γὰρ σὰρξ ἐπιθυμῆι κατὰ τοῦ πνεύματος, τὸ δὲ πνεῦμα κατὰ τῆς σαρκὸς, (ταῦτα δὲ ἀντίκειται ἀλλήλοις,) ἵνα μὴ ἂ ἂν θέλητε, ταῦτα ποιῆτε i. e. *Caro enim concupiscit adversus Spiritum, Spiritus vero adversus carnem, (hæc autem inter se opposita sunt,) ut non, quæ velletis, eadem faciatis: “ quæ “ verba,”* inquit Estius, “ cum persimilia sint iis, “ quæ in cap. vii. ad Romanos leguntur, *Video “ aliam legem in membris meis, repugnantem legi “ mentis meæ; et non enim quod volo, hoc ago; “ et velle adjacet mihi, perficere autem bonum non “ invenio;”* (atque ad renatos haud dubie pertineant;) “ satis profecto ostendunt, etiam hunc locum “ (nempe, cap. vii. ad Romanos) ad personam homi- “ nis renati ac spiritualis esse referendum, cui cum “ carne bellum est intestinum atque continuum.”

Resp. 1. Mira certe merito videri debet interpretandi ratio, ex quavis verborum similitudine in loco aliquo Scripturæ, sensum alteri loco affingere a manifesto scopo ac proposito auctoris in loco isto omnino alienum. Abunde autem evicimus^d, scopum apostoli in cap. vii. ad Romanos illum esse, ut ostendat inefficacitatem legis a gratia evangelii sejunctæ ad

^c In Rom. vii. 14.

^d [IX. 7, &c.]

vim peccati frangendam, eoque nomine miserum hominis statum sub lege tantum constituti. Qualiscunque igitur sensus sit loci ad Gal. v., certum est apostolum in cap. vii. ad Romanos de homine per gratiam evangelii renato nullo modo agere. Sed 2. nec similitudinem in locis istis, quam Estius sibi imaginatus est, agnoscimus; imo, si quis utrumque locum accurate expendat, latum inter ea discrimen videbit. Conveniunt quidem in hoc, quod in utroque lucta quædam in homine describitur; at lucta ista longe diversissima, seu *luctatores*, seu luctæ et certaminis *eventum* respicias.

24. Ad *luctatores* quod attinet, ii sunt, in cap. vii. ad Romanos, appetitus sensitivus et ratio sive intellectus cognitione legis imbutus, ab apostolo dicti *caro et interior homo, caro et mens, lex membrorum et lex mentis*. At Gal. v. certamen est inter *carnem* 68 *et Spiritum*, (scilicet Spiritum Christi, ut ex ver. 18. coll. Rom. viii. 14. apparet,) i. e. animum hominis luce et gratia evangelii donatum. Apprime enim observandum est, apostolum in toto isto certamine, quod describit cap. vii. ad Rom. de Spiritu Christi ne γὰρ quidem dicere; mentem solummodo, et legem mentis, et interiorem hominem carni opponens: at contra cap. viii. ad Roman. (ubi statum renatorum per gratiam evangelii manifeste describit,) de carne et Spiritu ubique agit, et in hoc ad Gal. loco, non amplius vel mentem simpliciter, vel legem mentis, vel interiorem hominem nominans; quod manifestum est indicium, in septimo isto capite apostolum de homine agere, cui nullum suppetit adversus carnem auxilium, præterquam ratio sive intellectus notitia legis instructus, quique proinde Spiritu Christi omnino caret.

25. Ad luctæ et certaminis *eventum* quod spectat, non dicit hic apostolus, hominem per gratiam evangelii renatum non posse bonum, quod velit, perficere, nedum carni, sive legi peccati in carne, sive legi membrorum captivum duci, sive peccati mancipium esse; quæ omnia de homine sub lege constituto cap. vii. ad Romanos dicit; imo, si verba ejus attendas, contrarium plane de renatis hic statuit: quod manifestum fiet, si verba illa, ἵνα μὴ ἂ ἀν θέλητε, ταῦτα ποιῆτε^e, [Gal. v. 17.] referantur ad membrum proxime præcedens, scilicet, τὸ δὲ πνεῦμα κατὰ τῆς σαρκὸς, (verbis ταῦτα δὲ ἀντίκειται ἀλλήλοις interpositis παρενθετικῶς,) atque ita exponantur non de bonis Spiritus, sed malis carnis operibus, hoc modo; Caro quidem concupiscit adversus Spiritum; at contra Spiritus etiam concupiscit adversus carnem, atque ejusmodi in vobis imperium exercet, ut non faciatis mala ista quæ alioquin per carnem facere velletis. Est hic Grotii sensus, qui mihi certe clarissimus videtur; nam 1°. longe convenientius est, ut ultima commatis verba ad membrum proxime præcedens quam ad partem remotiorem referantur, ut cuivis vel mediocriter rem attendenti facile liquebit. 2°. Sensus hic optime quadrat scopo et contextui apostoli; nam ver. 13. Galatas hortatus, ne evangelii libertatem arriperent ut datam carni occasionem, præscribit iis in remedium inimicæ carnis, ut Spiritu ambulent, ver. 16. *Hoc autem dico, Ambulate in Spiritu, et cupiditates carnis non perfeceritis;* (verba enim, καὶ οὐ μὴ τελέσητε, non esse imperative reddenda optime ostendit Grotius in locum;) mox ratio sequitur ver. 17. *Caro*

^c Sunt qui verba ista referunt ad utrumque membrum præcedens, quibus haud magnopere repugno. Vid. Crel. in loc. et Hammond.

enim concupiscit adversus Spiritum, Spiritus autem adversus carnem, &c. ut non quæ velletis, ea faciatis : quasi dicat, etsi carnem versus propendetis, ejusque desideria haud illubenter perficere velletis, si tamen estis sub imperio et ductu Spiritus Christi, fieri non potest ut cupiditatibus istis morem geratis : dat quidem operam caro ut in obsequium suum vos trahat, sed non potest ; nam et Spiritus etiam concupiscit adversus carnem, et magnus est ille Spiritus et prævalebit, efficietque ut non perficiatis ista carnis desideria quæ alioquin facere velletis. Nisi ita hæc verba exponantur, concipi vix potest quomodo rationem contineant hortatus præcedentis, imo propositioni ratio contradiceret ; finge enim apostolum ita locutum fuisse, “ Ambulate in Spiritu, “ et carnis cupiditates non perfeceritis ; nam Spiritus et caro sibi invicem repugnant, ut bona quæ “ facere velletis facere non valeatis : ” quam hæc incongrua et sibi repugnans oratio ! nam illud certe, quod caro ita Spiritum vincat ut impediatur nos ab iis, quæ Spiritus dictat, perficiendis, tantum abest ut idonea sit ratio cur in Spiritu quis ambulet, ut contrarium plane suadeat ; quid enim attinet in Spiritu ambulare, si Spiritus ille adversus tyrannidem et dominium carnis nihil valeat ? at secundum Grotii interpretationem contextus apostoli, ut vidimus, clarus est et conspicuus, et sibi optime consentiens.

26. Si quis tamen contra rationes tam manifestas contendere velit, clausulam illam, *ἵνα μὴ ἂν θέλητε, ταῦτα ποιῆτε*, significare ejusmodi in Spiritum carnis victoriam, qua per carnem quis bona, quæ Spiritus dictat, præstare non possit ; ei necesse erit statuere, apostolum ad Galatas hic loqui non ut salutifera

nativitate donatos, sed, licet cognitione evangelii illuminatos et Spiritu Christi quadantenus affectos, sub carnis tamen dominio adhuc manentes, et cum lege quam evangelio plus commercii habentes. De vere enim renatis aperte dicit hoc ipso capite apostolus, *Si Spiritu ambuletis*, (quod faciunt omnes renati Rom. viii. 1.) *opera carnis non perfeceritis* ver. 16. *Si Spiritu ducimini*, (quod de renatis etiam omnibus affirmat apostolus Rom. viii. 14.) *non estis sub lege* ver. 18. i. e. ut jam majores annis facti, non opus habetis lege adolescentiæ custode; confer ver. 23. Sed apertissime loquitur, ver. 24. *Qui Christi sunt, carnem crucifixerunt cum affectibus et cupiditatibus*. Saltem hæc sententiæ manifeste ostendunt, apostolum in cap. vii. ad Roman. de vere per evangelium renatis non agere; qui enim in Spiritu ita ambulant, ut carnis cupiditates non perficiant, qui Spiritu ducuntur, denique qui carnem crucifixerunt cum omnibus cupiditatibus, quomodo illi dici possunt *carnales, peccati mancipia, legi peccati in membris captivi, legi peccati servire*, quæ omnia de homine in cap. vii. ad Rom. descripto diserte affirmantur? ut locus hic ad Galat. adversariorum de capite controverso sententiam (quocumque se verterint) manifeste destruat.

27. Atque hæc de sensu cap. vii. ad Roman. in quo eo diutius immorati sumus, tum quod ibidem argumentum apostoli ab infirmitate legis ex professo tractetur, tum quod, contraria interpretatione admissa, causa, quam agimus, manifeste corruat; si enim inefficax ista boni velleitas, quæ sola homini in capite isto repræsentato tribuitur, totum illud sit quod gratia Christi in nobis efficiat, tum certe de

honore et eximia illa evangelii præstantia, de bonorum operum sanctæque vitæ necessitate actum omnino est : velle bene vivere sat erit, re ipsa bene vivere non erit necesse.

CAP. X.

Argumentum apostoli ab infirmitate legis distinctius explicatur. Lex duplici auxilio caruit, sc. promisso vitæ æternæ, ac dono Spiritus Sancti. Quantus fuerit prior ille defectus. Loca nonnulla proferuntur eo spectantia. Dubia quatuor in ista materia solvuntur.

1. ARGUMENTUM apostoli ab infirmitate legis generatim exposuimus ; at vero quia in hoc cardine ratiocinatio Pauli contra justificationem ex lege pene tota vertatur ; idcirco operæ erit pretium, rem hanc paulo enucleatius exponere.

2. Observandum est igitur, Legem veterem duplicis gratiæ auxiliaris defectu laborasse, externæ sc. atque internæ : per externam gratiam intelligo promissum vitæ æternæ, per internam vero donum Spiritus Sancti, quibus utrisque caruit fœdus Mosaicum.

3. Quod ad prius illud attinet, non exiguum erat impotentia legis indicium, quod promissiones ejus et comminationes, in quibus vis legis cujuscunque sita est, non erant nisi temporales ac terrenæ ; has enim facile contemnere ac posthabere possunt homines affectibus suis, adeo ut ipsis indulgere malint, quam tali spe aut metu adduci ut ab iis complendis sibi caveant. Virtus quidem res est sua pulchritudine amabilis, sed ardua tamen, nec sine labore improbo ac studio pertinaci acquirenda. Torpescit autem labor, flaccescit studium, quod spe majoris præmii non

refocillatur; at studio virtutis haud sufficit præmium quod vitæ hujus cancellis circumscibitur; nam vita brevis est, ars hæc (si qua alia) bene vivendi longa: perit magna vitæ pars, antequam revera vivere didicimus; quod si non esset, mortua tamen est spes illa, quæ morte finitur; frigidum solatium, quod mors gelida brevi occupatura est; denique inquieta quies, quam subinde amara lethi indies propius absentis recordatio interturbat. Verbo dicam, non multum movebunt veri æstimatoris animum bona illa, quæ non sine labore parta, nec sine cura custodita, nec sine tædio fruenda, tandem de repente diffuunt ac fugiunt possessorem, morti ipsum relinquentia, quæ eo acerbior esse solet, quo vita, quam morte commutamus, fuit suavior: non potuit igitur lex Mosis, quæ nihil ultra hanc vitam boni promiserit, studium virtutis sincerum, ardens, constans, indefessum in hominibus efficere^f.

4. Sed est aliquid præterea; lex Mosis, eo ipso quod promissa et minas tantum temporales continebat, ad ingenerandum hominibus genium atque ingenium humile ac sordidum, atque a vera ac genuina pietate plane alienum, apta nata erat^g. Præcipuæ pietatis partes hæ sunt; abnegatio nostri, crucis tolerantia, assidua oratio, futuræ vitæ meditatio, usus bonorum vitæ hujus sobrius ac moderatus: qui autem fieri poterat, ut hujusmodi pietatem efficeret in hominibus lex ista, quæ ad terrena tantum com-

^f Adversus hæc vehementer invectum adversarium fortiter repulit doctissimus auctor in *Examine Censuræ, Respons. ad Animadvers. XXI.* GRABE.

^g Hæc verba ab acri censura Gatakeri, nec non a corruptela D. Tullii vindicavit cl. auctor in *Examine Censuræ, Respons. ad Animadv. XXII.* et in *Apologia contra Tullium, VIII. 7.* GRABE.

moda ac mundanas delicias mentem atque animum ipsorum alligaverit? qui animum ad Deum semper elevare, preces ad ipsum assiduas fundere potest, qui felicitatem in terris repositam habet? Ejus certe animus terræ affigitur, qui quicquid habet expetendum illic putat collocatum; *ubi thesaurus noster, ibi cor nostrum esse* testatur ipsa veritas: non potest autem ad Deum sese erigere animus, quin se simul a terris abstrahat atque in cœlum elevet. Deinde qui temperantiam et eximiam quandam animi ac corporis puritatem sectari poterat, qui virtutis suæ mercedem in bonorum corpori servientium perfruitione collocabat? quorsum enim ultra necessitatem promittebatur bonorum caducorum abundantia, si ad voluptatem iis non licebat uti? præterea qua ratione avaritiæ penitus valedicere potest, qui in opibus, omnique bonorum affluentia, laborum suorum fructum ponit? postremo, qui fieri potest ut crucem æquo animo toleret, qui spe malorum tristium evitandorum ad virtutem adductus est?

5. Hinc certe fit, ut si præceptorum Mosaicorum rationem ad ista tempora accommodatam consideres, animadvertes eam isti pietatis præmio apprime fuisse consentaneam: præcepta promissis mire quadra-
bant; etsi enim Deus etiam perfectiorem illam pietatem populo suo in lege non paucis indiciis significavit; quam tamen legibus latis pœnaque sancitis exigebat, religio erat rudis admodum, tenuis, pusilla, angusta. Quam multa illis permissa, quæ nobis Christianis vel omnino non liceant vel parum convenient? quot eximia pietatis officia, quæ in lege vel leviter tantum perstricta, vel obscurius significata, vel omnino præterita? Quod adeo verum est, ut precatio ipsa, primum pietatis officium, in quod nobis Christianis

assidue incumbendum est, nusquam in lege universaliter, i. e. toti populo atque omni tempore præscripta legatur; sacerdoti quidem summo diserte præscribitur, ut pro populo toto oraret, et oratione certa populo benediceret, uti manifestum est ex Numer. cap. vi. ver. ultimis; imo et populo, consummata decimatione, precandi formula præscribitur Deut. xxvi. 12—15; ut in manifesto fuisse errore videatur doctissimus Episcopus^b, cum dicat nusquam et nunquam in lege precationem populo præscriptam legi. Illud tamen verissimum esse credo, præceptum de precatione expressum atque universale, h. e. quod ad omnes omni occasione pertineat, in lege Mosaica nullum dari; ideoque Rabbini inter 613. præcepta clarum atque expressum hujusmodi de precando et invocando Deum præceptum nullum allegantⁱ, ut ab eodem Episcopo observatum est; sed ex generali isto verbo עָבַד, i. e. *colere*, vel *servire*, Exod. xxiii. 25. illud extundunt, ad cabalam suam et oralem legem hic confugientes; sed illud obiter.

6. Hunc autem legis Mosaicæ defectum, quod scilicet nullum habeat futuræ vitæ promissum, non uno in loco perstringit apostolus. Atque huc quidem nonnulli referunt textum prius laudatum Rom. viii. 3. ubi dicit apostolus, impossibile fuisse legi liberare homines a peccati dominio, *eo quod infirmabatur per carnem*, i. e. inquit illi, quod non nisi promissa carnalia continebat; sed quia in posteriori ejusdem commatis clausula, huic opposita, (ubi Christus dicitur id præstitisse quod lex non potuit, interfecisse

^b Institut. Theol. III. 3. c. 1. p. 61.

ⁱ Vide insigne testimonium ex Cosroes libro perantiquo productum ab Arnold. Poleub. in Præf. ad operum Episcopi theol. partem alteram.

scilicet peccatum in carne,) vox $\sigma\acute{\alpha}\rho\chi$ alio sensu, i. e. usitato, manifeste sumitur; ideo communis interpretatio videtur mihi potius eligenda. Magis appositus est locus ille capitis præcedentis ver. 5. ubi lex Mosis appellatur $\sigma\acute{\alpha}\rho\chi$, i. e. *caro*; nam verba illa, $\delta\acute{\omega}\tau\epsilon\ \eta\mu\epsilon\nu\ \epsilon\grave{\nu}\ \tau\eta\ \sigma\alpha\rho\kappa\acute{\iota}$, exponenda esse, *cum eramus sub lege*, manifestum est ex antithesi quam habent ad ver. 6. nec non ex scopo apostoli in toto capite, nempe, describere statum hominis sub lege positi. Lex autem Mosaica *caro* videtur dici, non tantum quia pleraque ejus præcepta carnalia tantum erant atque externa, verum etiam, quia promissa, quibus lex ista sancita erat, non ultra vitam hanc carnalem spectabant. In eundem sensum exponit Grotius verba apostoli 2 Cor. iii. ubi, de Novi Fœderis supra Vetus præstantia expresso agens, veterem legem appellat $\delta\iota\alpha\kappa\omicron\nu\acute{\iota}\alpha\nu\ \tau\omicron\upsilon\theta\ \theta\alpha\nu\acute{\alpha}\tau\omicron\upsilon$, *ministerium mortis* ver. 7. quia scilicet omnia ejus promissa morte terminabantur sine ulla spe restitutionis; sic ver. 6. dicitur lex Mosis $\acute{\alpha}\pi\omicron\kappa\tau\epsilon\acute{\iota}\nu\epsilon\iota\nu$, *occidere*; nempe, ut notat idem Grotius, sicut Hebræis $\חַיְהוּה$, *vivificare*, dicitur de eo qui aliquem non interfecit, (ut Exod. i. 17. Jud. viii. 19.) sic *interficere* dicitur, qui hominem morti relinquit, nec ab ea liberat. Sed, ut verum fatear, crediderim phrases istas $\delta\iota\alpha\kappa\omicron\nu\acute{\iota}\alpha\ \theta\alpha\nu\acute{\alpha}\tau\omicron\upsilon$ et $\acute{\alpha}\pi\omicron\kappa\tau\epsilon\acute{\iota}\nu\epsilon\iota\nu$ aliud quippiam significare; nempe, legem Mosis scriptam, si sola sit ac Spiritu destituta, occidere, h. e. eos, quibus data est, iræ divinæ mortique æternæ reddere obnoxios; non suo quidem vitio, sed ob carnis infirmitatem; quem sensum manifeste comprobant, quæ apostolus alibi de lege dicit, scilicet Rom. vii. 8—11. et iv. 15. Clariora videntur apostoli verba Gal. iii. 12. *Lex non est ex fide, sed qui fecerit ea, in iis vivet*: h. e. lex neque fidem postulat, neque ea promittit,

71

quæ fidem proprie dictam (quæ est ἔλεγχος οὐ βλεπομένων, Heb. xi. 1. confer et Rom. viii. 24.) postulant; quippe ejusmodi tantum promittit bona, quæ in ipsum sensum incurrunt, et ad vitam hanc spectabilem pertinent; de futura vita ne γὰρ quidem dicit; nullis vitæ hujusmodi promissis ad pietatem nos extimulat, sed postulat ut præcepta ejus faciamus, non addito talis promissi incitamento; tantum dicens, *vives*, h. e. vitam ages hic felicem ac prosperam, ut ex Lev. xviii. 5. apparet. Sed apertissimus est locus ille ejusdem capituli ver. 21. Εἰ γὰρ ἐδόθη νόμος ὁ δυνάμενος ζωοποιῆσαι, &c. *Si data esset lex quæ posset vitam dare, revera ex lege esset justitia; dicitur lex id dare vel facere, quod promittit; sensus ergo est, Si lex habuisset promissa vitæ, nempe, æternæ, tunc etiam homines per legem veram ac spiritualem justitiam, vel veram ac perfectam justificationem, hoc est, cum vitæ æternæ donatione conjunctam, assequi potuissent; at longe aliter se res habet; lex promissa tantum continet ad hanc vitam spectantia, adeoque neque ad veram pietatem homines adducere, nec perfecta justificatione ipsos donare potis est^k.*

7. His ex Paulo allatis concinunt, quæ a divino auctore (quisquis ille fuerit) Epistolæ ad Hebræos de hoc ipso argumento dicta sunt: illustris est locus Heb. vii. 19. Οὐδὲν γὰρ ἐτελείωσεν ὁ νόμος, ἐπεισαγωγὴ δὲ κρείττονος ἐλπίδος, δι' ἧς ἐγγιζομεν τῷ Θεῷ. Singula fere verba hic expendenda sunt; vox τελειοῦν, ut sæpius diximus, notat *expiationem*, eamque perfectissimam, omnium peccatorum, etiam gravissimorum; et pœnarum non modo temporalium, sed etiam æternarum:

^k Confer de hoc apostoli loco Examen Censuræ, Respons. ad Animadv. XIX. 6. GRABE.

οὐδέν, ut superius etiam notavimus, ponitur pro Οὐδένα, neutrum pro masculino : ἐπεισαγωγὴ κρείττονος ἐλπίδος quid sit, dubitatur; nonnulli enim referunt hæc verba ad ipsam legem, hoc modo; “ Nihil enim per-
 “ fecit lex, sed fuit introductio spei melioris;” i. e. in-
 quiunt, “ ad rem longe meliorem, sc. Christum¹.” Sed
 primo, hæc interpretatio antithesin tollit inter legem
 et evangelium, quæ hic manifesta est; deinde præ-
 positio ἐπὶ in ἐπεισαγωγὴ significat posterius aliquid,
 ut in ἐπιδιατάσσεται, Gal. iii. 15. male igitur ab iis
 vertitur ἐπεισαγωγὴ *introductio*, cum significet *super-
 introductio*, sive *post-introductio*; post-introductio
 autem spei melioris ponitur pro *spes melior post in-
 troducta*; ut manifeste hic designetur evangelium
 in quo melior illa spes revelatur; repetendum autem
 est hic vox ἐτελείωσεν e superioribus. Postremo ἐγγί-
 ζειν, ut a Grotio notatum est, proprie est vox sa-
 cerdotalis, Ezekiel. xlii. 13. et xliii. 19; significat
 autem hic ἐγγίζειν τῷ Θεῷ, per fidem, pœnitentiam,
 novæque vitæ susceptionem ad Deum accedere, ipsi-
 que in hostiam vivam, sanctam placentemque, nos
 ipsos quasi offerre, vide Jac. iv. 8. Innuunt au-
 tem manifeste hæc postrema verba causam ac ratio-
 nem cur spes ista, ab evangelio introducta, et melior
 sit, et ad perfectam expiationem nos adducat; quod
 scilicet appropinquare nos faciat Deo, favorem ejus
 precibus ambiendo, toto corde ipsi serviendo, ipsius-
 que mandatis in omnibus obtemperando. Cum au-
 tem hoc modo Deo appropinquamus, Deus in vicem
 nobis appropinquat, h. e. arctissimo amoris vinculo
 nos complectitur, peccata omnia nobis per sacrificium
 Filii sui plenissime ac perfectissime condonat, vita-

¹ Vide Jac. Capel. in locum.

que nos donat æterna; *Si enim Deo appropinquamus, appropinquabit ipse nobis*, Jac. iv. 8. Lex autem, quia hac meliori spe caruit, non potuit ad Deum eo modo nos adducere, ideoque nec perfectæ expiationis participes reddere. Hanc autem rem disertius adhuc exponit idem auctor cap. viii. quando fœdus novum, i. e. evangelium, quo spes melior introducta est, *præstantius fœdus* vocat, quam fœdus legale, quia *præstantioribus promissis sancitum est* ver. 6. Plura loca his non absimili aprofere non esset admodum difficile, sed prudenti lectori hæc sufficiant; dubia jam nonnulla ac ζήτηματα hac de re, solutu non indigna, proponemus ac discutiemus.

8. Primo quæritur, An in V. Testamento nullum omnino extet vitæ æternæ promissum? de eo enim a nonnullis dubitatur. Resp. Huic quæstioni optime mihi videtur respondere Augustinus^m, distinguens nomen Veteris Testamenti; nam eo intelligi ait aut pactum illud quod in monte Sinai factum est, aut omnia quæ in Mose, hagiographis ac prophetis continentur. Si Vetus Testamentum posteriori sensu accipiatur, concedi forsitan possit, esse in eo nonnulla futuræ vitæ non obscura indicia, præsertim in libro Psalmorum, Daniele, et Ezekiele; quanquam vel in his libris clarum ac disertum æternæ vitæ promissum vix ac ne vix quidem reperias. Sed hæc, qualiacunque erant, non erant nisi præludia et anticipationes gratiæ evangelicæ; ad legem non pertinebant: lex enim, quatenus ab apostolo in suis cum Judæis disputationibus consideratur, proprie designat pactum in Sinai factum, vide Gal. iv. 24; illud autem promissa habuit terrena, et terrena tantum, ut

^m Locum ac verba ipsa S. Augustini vide in Examine Censuræ, Respons. ad Animadv. XXI. §. 5. GRABE.

videre est Exod. xxiii. 25, 26. Lev. xxvi. 3. et Deut. vii. 12, 13. et xxviii. 2, &c. Si quis contra sentiat, ejus est locum dare, ubi æternæ vitæ promissio extat, quod certe impossibile est. Verum est quidem, terrena illa promissa, data legi operum, signa fuisse eorum bonorum quæ legem Spiritus sequebantur, atque hæc sub illis Dei ipsius intentione fuisse comprehensa. Verum est etiam, extare quædam in ipsa lege promissa generalia, seu generalibus terminis facta, in quibus vitam æternam non tantum contineri posse, sed et intentione divina contentam fuisse manifestum est; cujusmodi sunt, *Ego ero Deus tuus, et ego benedicam vobis*, &c. hisce enim promissis, sic generatim conceptis atque enuntiatis, contineri posse quælibet bona, etiam ea quæ non nisi post mortem eveniunt, quis dubitat? Deum enim velle Deum alicujus esse, quid aliud est, quam Deum velle divina benevolentia aliquem complecti? divina autem benevolentia, sive quæ Deo digna est, quid est aliud quam benevolentia summa, et qua major ulteriorque dari non potest; proinde benevolentia duratione longissima, i. e. æterna, effectu potentissima, proinde a morte atque interitu liberans? Sub his autem verbis Dei intentione comprehensam fuisse vitam æternam, ex interpretatione ipsius Christi ejusque apostolorum manifestum est, vide Matt. xxii. 31, 32. Heb. xi. 16. 2 Cor. vi. 16, 17, 18. coll. vii. 1. Apoc. xxi. 3, 7. Verum hæc non sufficiunt, ut dicamus vitam æternam in fœdere Mosaico promissam fuisse; nam primo, promissa, præsertim fœderi annexa, debent esse clara ac diserta, et ejusmodi, ut ab utraque parte stipulante intelligi possint. Promissa autem hæc typica et generalia, non addita aliunde interpretatione, pene impossibile erat, ut quis isto

sensu intelligeret. De typis constat: ad generalia promissa quod attinet, cum generalia omnia obscuriora sint, imprimis quando sunt permixta innumeris pene specialibus promissis, per quæ ad certam quandam bonorum speciem restringi videntur, ut hic se res habet, fieri vix potuit, ut quis generalia ista promissa aliter quam ut cumulum bonorum specialium continentia intelligeret, aut ultra vitæ hujus spatium extenderet. Deinde vita hæc æterna typis adumbrata, ac promissis generalibus comprehensa, non data fuit (ut modo inuimus) externæ isti justitiæ in litera legis exactæ, sed spirituali illi puritati ac pietati, cujus altera ista externa tantum umbra fuit; sicuti enim sub cortice bonorum temporalium latuerunt bona æterna, ita etiam religio corporalis, in lege præscripta, umbra fuit et typus spiritualis justitiæ in evangelio clarius revelandæ. Verbo dicam, lex carnaliter et secundum literam spectata nec spirituales justitiam exegit, nec vitam æternam promisit; spiritualiter vero considerata erat ipsissimum evangelium; nec de ea hoc modo sumpta controversiam hic ullam movet apostolus.

9. 2^o. An igitur, inquires, fuerunt sub lege, qui vitam æternam sperarent? Resp. Qui meliores erant et perspicaciores in populo Judaico, verosimile est eos seu generalium promissionum viⁿ, seu temporalium bonorum levi æstimatione, seu divinæ bonitatis intuitu, seu animæ suæ, melioris quam caduci boni appetentis, consideratione, seu Enochi exemplo, (cui sequiori ævo accessit Eliæ raptus,) seu patriarcharum traditione, (quibus Deus multis indicii spem futurorum bonorum fecerat, in quorum indicio-

ⁿ Vide Episcop. ubi supra.

rum genere non minimum erat et illud, quod multi eximie boni terrestris felicitatis expertes vixerint, quod argumentum late exequitur scriptor ad Hebræos cap. xi.) seu aliis rationibus adductos credidisse, Deum, præter specialia ista bona ad hanc vitam pertinentia, et legibus Mosaicis comprehensa, etiam alia post mortem cultoribus suis fidis largiri velle; imo statuendum illud omnino est, ne viros sanctos eximiosque in populo Dei suum instar tum vixisse, tum devixisse credatur. Nec refert, quod hujus fidei vix ac ne vix quidem ulla in canonicis V. T. Scripturis mentio fiat; nam certum est, Abrahamum filium promissionis mactare jussum non recusasse hac ratiocinatione sustentatum, Deum potentia tanta præditum esse, ut filium jam mortuum in vitam revocare, eumque ei redivivum restituere posset; certum, inquam, illud est, quia divinus autor Epistolæ ad Hebræos id diserte testatur xi. 19. hujus tamen vere admirandæ fidei, atque evangelicæ supparis, in historia Abrahami nec volam, nec vestigium reperias. 73

10. Præterea floruerunt singulis sæculis in populo Judaico viri Dei ac prophetæ cælitus edocti, quos, inter tot arcana ipsis patefacta, mysticum hunc legis sensum penitus ignorasse, nihilque de futura vita intellexisse, nemo prudens suspicabitur: cum autem nefas sit vel cogitasse viros optimos sapientiam, qua ipsi pollebant, aliis invidisse, credendum omnino est, eos, sicubi idoneos invenerint auditores, evolvisse iis obtecta in lege mysteria, singulisque tantum aperuisse, quantum captus ipsorum et utilitatis ratio ferebat. In publicis autem concionibus prophetæ ac sapientes ita loquebantur, ut nec in contemptum adducerent arcana sanctioris disciplinæ, et tamen audito-

rem attentum ad investigandi sollicitudinem excitarent; atque hinc natum arbitratur maximus Grotius^o discrimen, antiquitus inter Judæos celebratum, scriptæ legis, et legis oralis, quam et קבלה, i. e. παράδοση seu *traditionem* vocant; utramque dicentes a Mose profectam: non quod res aliæ fuerunt in traditione quam in lege scripta, sed quod ea quæ in lege scripta occultius continebantur, studiosis indagatoribus enodaret accuratior interpretatio.

11. Atque hæc quidem docendi ratio apud populum crassior, limatior apud τοὺς προκόψαντας, obtinuisse videtur (ut notavit idem vir incomparabilis^p) usque ad ea tempora, quæ Babylonicum exilium sunt secuta; tum vero primus omnium Daniel de resurrectione egit apertius, quem secutus est et Ezekiel. Hinc incipiunt sapientes, quos חכמים vocant, qui humanitus, non divinitus instructi, prophetis, sed impari autoritate, successerunt. Hi vero ex Daniele doctrinam resurrectionis vitæque futuræ propalam, et apud universam Judæorum multitudinem promulgarunt; donec tandem circa Macchabaica tempora ea doctrina pridem e latebris educta, inter popularis religionis principia, ipsosque fidei Judaicæ articulos, locum obtinuerit, ut ex eorum temporum annalibus manifestum est; vide 2 Mac. vii. 9, 23, 36. coll. Heb. xi. 35.

12. Si causam quæris, cur ab exilio primum Babylónico doctrina hæc, arcanis Judæorum eruta, in aprium prolata fuerit, rationem satis ingeniosam atque accommodam reddit Grotius^q; nempe, grave tum periculum imminabat, ne gens Judaica solita ea tantum audire, quæ in sensum caderent, ablato imperii sui splendore, gemens sub externo dominatu,

^o Annot. ad Matth. v. 20.

^p Ibidem.

^q Ibidem.

damni, cruciatus, mortis denique metu sollicita, a veri Dei cultu deficeret; adeoque plane necessarium erat, ut populus adversus tentamenta præmuniretur; quod fieri satis non poterat, nisi palam Dei causa morientibus proposita spe vitæ melioris. Nec fructu suo caruit ea doctrina; hac enim κρείττονος ἀναστάσεως spe animati Macchabaicis temporibus quamplurimi, præ legis studio exquisitissimas mortes pertulerunt, ut Macchabæorum historia nos docet, et a scriptore Epistolæ ad Hebræos loco modo laudato annotatum est. Huic et altera addi possit ratio non contemnenda, quod scilicet evangelii tempora tum appropinquabant; hanc autem οἰκονομίαν et hunc ordinem in dispensando misericordiæ suæ fœdere tenuit Dominus, ut quo propius temporis progressu ad plenam exhibitionem accedebatur, eo majoribus illud revelationis incrementis illustraret, majorque indies lucis amplitudo se exereret, donec tandem, nubibus omnibus discussis, Sol justitiæ Christus universum terrarum orbem ad plenum illuminavit: quam rationem etiam Grotius ipse alibi expressit^r, “Cum jam,” inquit, “appeteret tempus melioris fœderis, voluit “Deus per prophetas et sapientes venturo Soli auro-
“ram quandam præmittere præviam;” quo iterum respexit, cum omne tempus post reditum ex Babylone aptissima certe appellatione *vestibulum evangelii* nuncupavit^s.

13. 3^o. Ex solutione prioris nova oritur quæstio; Quo scilicet sensu Christus *vitam atque immortalitatem in lucem produxisse* dicatur 2 Tim. i. 10. cum ex antedictis pateat, doctrinam futuræ vitæ inter Judæos multis ante Christum annis communitè receptam fuisse? Resp. 1. Textus hic forsitan intel-

^r Discuss. p. 14.

^s In Annot. ad Eph. ii. 12.

ligi possit de gentibus evangelio illuminatis, quas prius fuisse τῆς ἐπαγγελίας ἐλπίδα^s μὴ ἔχοντας, καὶ ἀθέους ἐν τῷ κόσμῳ, diserte testatur apostolus Eph. ii. 12. atque in hunc sensum manifeste inclinant verba immediate sequentia ver. 11. εἰς ὃ ἐπέθην ἐγὼ κήρυξ καὶ ἀπόστολος καὶ διδάσκαλος (N. B.) ἐθνῶν. Dices, At fuerunt inter ipsas gentes, qui de vita post hujus conspicuæ vitæ interitum spem habebant aliquam. Fateor, quin et gentes fere omnes moratiores, ipsasque adeo barbaras, opinio quædam de immortalitate animarum ac veluti fama pervaserat^t. Interim, 1. non
 74 pauci ex ipsis philosophis aliter senserunt; Epicurus, et ejus de grege porci qui erant, futuram vitam plane deridebant; imo et Aristoteles ipse de animæ immortalitate vel nihil omnino, vel obscure saltem scripsit. 2. Qui huic dogmati vel imprimis favere videbantur, multum de eo hæsitarent, illudque opinati sunt potius quam crediderunt. Testimonia hac de re appotitissima videre est apud Grotium^v. 3. In re ipsa explicanda variæ erant ac discrepantes eorum sententiæ; stoici animas putabant manere, sed non ultra quam ad tempus ἐκπυρώσεως. Pythagorici μετεμψύχωσιν propugnarunt, de qua poëta quidam :

Morte carent animæ, semperque priore relicta
 Sede, novis domibus vivunt, &c.

Et,

—————Muta ferarum

Cogit vincla pati, truculentos ingerit ursis,
 Prædonesque lupis, fallaces vulpibus addit.

^s [Nota, quod Bullus τῆς ἐπαγγελίας cum ἐλπίδα conjungit, non cum διαθηκῶν.]

^t Vide Grotium in Annot. ad lib. I. de Ver. Rel. Christ. p. 38, 39. [ad c. 22. p. 30.]

^v In Annot. ad lib. II. c. 9. de Ver. Rel. Christ. p. 54. [p. 37.]

Atque ubi per varios annos per mille figuras
 Egit, Lethæo purgatos flumine tandem
 Rursus ad humanæ revocat primordia formæ.

Platonici demum (divinissima philosophorum secta) veluti rotationem quandam statuerunt, animasque hominum perpetuis vicibus nunc beatas, nunc vero miserias fieri; ut vere de philosophis generatim Justinus Martyr in colloquio cum Tryphone^u; Οὐδὲν οὖν ἴσασι περὶ τούτων οἱ φιλόσοφοι, οὐδὲ γὰρ ὃ τί ποτέ ἐστι ψυχῆ, ἔχουσιν εἰπεῖν, i. e. “Nihil horum norunt philosophi, neque quid sit anima, valent dicere.” 4. Denique qui inter gentes de vita futura nonnihil locuti sunt, uni tantum hominis parti, animæ scilicet, eam restringebant; de corporis resurrectione ne somniantes quidem; unde legimus, Paulum apostolum, Athenis de resurrectione disputantem, a philosophis, tanquam rem absurdam narrantem, sannis ac ludibriis exceptum fuisse, Act. xvii. 18, 32.

14. 2. Interim tamen verba citati textus ipsis etiam Judæis jure aptari posse manifestum est^x; huic enim doctrinæ, qua ab ipsis cognita erat, lucem attulit Christus triplicem. 1^o. Lucem peremptoriæ decisionis; nimirum sicuti inter gentium philosophos immortalitatem animarum alii asserebant, alii negabant, ita etiam apud Judæos dogma tanti ad pietatem momenti erat τῶν ἀμφισβητούμενων^a aiebant Pharisei, sed negabant Sadducei; quippe nihil recipientes, nisi quod totidem verbis in sacris Scripturis expressum reperirent; Phariseis contra ferme nihil afferentibus, quo probarent quod contenderent, præter cabalæ seu traditionis auctoritatem. Poterant quidem Pharisei locum Danielis adducere, neque

^u P. 222. edit. Morell. Paris. 1636. [c. 5. p. 107.]

^x Vid. Grot. in Matt. v. 20.

ejus auctoritatem aspernari ausi fuissent Sadducæi ; (illos enim præter Pentateuchum cæteros omnes prophetas repudiasse, spissum esse errorem ex Josephi historici verbis male intellectis natum, liquido, mea quidem sententia, demonstravit magnum illud literarum lumen, Josephus Scaliger ;) sed locus unicus, isque talis, qui sub luxuriantis prophetici styli prætextu facile eludi poterat, et de liberatione tantum ex Babylonica captivitate intelligi^y, argumentum erat pertinacis sophistæ ori ocludendo haud sufficiens. Inter diversæ igitur scholæ certamina fluctuantibus multorum animis, doctrinam de resurrectione et futuro seculo tradebat Christus, prophetarum princeps, verbis disertissimis, idque Dei nomine, eamque tanquam rem certam minimeque dubiam publice omnibus annuntiabat.

15. 2°. Addidit etiam huic doctrinæ Christus lucem claræ ac dilucidæ explicationis ; quippe naturam futuræ vitæ etiam ipsi Judæorum magistri in plerisque turpiter ignorarunt ; cujus rei testis est locupletissimus Maimonides ipse, qui in explicatione capituli x. tractatus Sanhedrim initio sic (vertente Pocockio nostro) loquitur ; “ Scias eorum, qui legem
 “ amplectuntur, sententias, de beatitudine quam asse-
 “ cuturus est homo, mandata ista, quæ præcepit nobis
 “ Deus per manus Mosis doctoris nostri, præstando,
 “ et de miseria quæ nos ob earum transgressionem
 “ consequetur, pro diversitate intellectuum valde
 “ discrepare ; quin et multum in hac materia con-
 “ fundi intellectus, adeo ut vix reperias quempiam
 “ cui hoc argumentum liquido innotuerit ; imo haud-
 “ quaquam reperies de eo sermonem, ab aliquo libe-

^y Consule Grot. in locum.

“ rius institutum, qui non sit admodum confusus.” Ut quod de sequioris ævi Rabbiniis, qui post Maimonidem vixerunt, pronuntiat eruditissimus Pocockius, de iis etiam, qui ipsum longe antecesserunt, haud minus vere dici possit^z; quod, scilicet, “ haud aliud “ fere reperias, de quo pluribus eorum inter se con- “ venisse asseras, quam credendum et expectandum “ esse aliquid, quod resurrectio audiat, de re ipsa “ singulis fere diversa asserentibus,” &c. De impio- rum exitu res erat, ut et hodie est, plane incerta; alii resurrecturos credebant, aliis contradicentibus: quod ad piorum felicitatem attinet, credebant multi eam fore diuturnam quidem, at non æternam; de- inde felicitatem illam crassam, terrenam, atque ex bonorum corpori servientium affluentia conflata somniarunt. Quemadmodum enim nunc dierum Thal- mudistæ epulas sibi fingunt, in quibus behemothum 75 et leviathanem et bariuchne, bovem, piscem, avem sint esitaturi; (de qua fabula vide Buxtorfium^a cum Judæis belle ludentem;) ita Christi quoque tempore Judæi vitam quidem post hanc felicem, sed huic nostræ similem, animo conceperant; unde Josephus, Essenorum sententiam (sectæ inter Judæos *πνευματι- κωτάτης*) exprimens de futuri sæculi felicitate, iisdem fere verbis utitur, quæ olim apud Græcos de fortu- natis insulis canebantur; nam bonis dari ait ^b *τὴν ὑπὲρ ὠκεανὸν διαίταν καὶ χῶρον, οὔτε ὄμβροισι, οὔτε νιφετοῖς, οὔτε καύμασι βαρυνόμενον, ἀλλὰ ὃν ἐξ ὠκεανοῦ πρᾶϋς ἀεὶ ζέφυρος ἐπιπνέων ἀναψύχει.* Hinc nata erat captiosa ista Sadducæorum interrogatio, Christo proposita, de

^z Not. Miscel. cap. 6. p. 87, 88.

^a Synag. Judaic. c. 36. p. 535.

^b Ἄλωσ. II. 12. [De Bel. Jud. II. 8. vol. II. pag. 165. edit. 1726.]

muliere quæ septem fratres successive maritos habuit, Cuinam istorum, post resurrectionem denuo reddenda esset, Matt. xxii. 28. Nimirum Sadducæi, Pharisæorum antagonistæ, a Christo credebant doceri resurrectionem ex iisdem hypothesibus quibus nitebantur Pharisæi; ii autem inter alias corporis voluptates etiam conjugii usum in futura vita mansurum existimarunt. Hæc tam crassa, tam caliginosa, clara ac spirituali luce donavit Christus, de pœnis impiorum aperte agens, piorumque præmia statuens non tantum diuturna, sed et æterna; et quidem non qualiacunque, sed quæ in angelorum consortio, Deique ipsius conspicua ac beatifica visione ac fruitione consistèrent.

16. 3°. Denique, quod omnium maximum est, attulit Christus huic doctrinæ lucem firmæ obsignationis, multis magnisque miraculis fidem ejus hominibus faciendo, in quibus maximum illud erat, quod mortuos in vitam palam revocaverit, ipseque se, post mortem obitam, vivum multis ostenderit; quo facto, nihil ab æquis animis ad hanc rem confirmandam amplius desiderari poterat; jam enim evidenter constabat, Statutum esse diem, quo juste judicaturus est (Deus) orbem terrarum per eum virum, quem definiit; fide ejus rei palam facta omnibus, illo ex mortuis suscitato, ut solide argumentatur apostolus, Act. xvii. 31.

17. Quarto atque ultimo in loco quæri fortasse potest, Quomodo per legem non potuissent ad veram justitiam adduci Judæi, qui futuræ vitæ spem ex lege concepissent? Resp. Præterquam quod spes ista vacillans admodum et confusa erat, illud imprimis in causa fuit, quod Judæi in externa legis justitia, cui nunquam erat promissa, vitam hanc æternam

quærebant. Hinc enim factum fuit, ut hac spe ad veram illam ac Deo dignam pietatem adducti non essent, quippe arbitrati, altera illa corporali legis justitia se felicitatem istam adepturos. Perniciosum hunc Judæorum errorem notavit Christus ipse Joh. v. 39. Ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς, ὅτι ὑμεῖς δοκεῖτε ἐν αὐταῖς ζῶν αἰώνιον ἔχειν καὶ ἐκεῖναί εἰσιν αἱ μαρτυροῦσαι περὶ ἐμοῦ per αἱ γραφαί, hic etsi intelligi possint omnia V. T. scripta, peculiariter tamen designari videntur scripta et lex Mosis, ut colligere est ex ver. 45, 46^c. Sensus ergo est, Plus æquo legi Mosis tribuitis; existimatis enim legis præcepta observantibus promitti vitam æternam, atque directe eam vitam illis libris contineri; at vero si scripta ista non tantum legitis, sed et attento animo expenditis, (hoc enim significat ἐρευνᾶτε,) facile agnoscetis, ea vobis me quasi digito ostendere, vosque ad me dirigere tanquam fontem ac datorem hujus vitæ, atque ad spiritualem illam justitiam, quam ego doceo, ut unicam vitæ ejusdem adipiscendæ viam. Ac profecto magna erat Judæorum perversitas, quod in promissis Mosaicis mysterium agnoscentes ipsi tamen præceptorum literæ mordicus adhæserint; cum facile videre potuissent, inter literam promissi et literam præcepti, et e contra inter spiritum promissi et præcepti, σχέσις esse prorsus necessariam. Atque hæc de defectu in lege Mosis gratiæ auxiliaris externæ, promissi scilicet vitæ æternæ, dicta sunt.

CAP. XI.

76

Altera legis Mosaicæ infirmitas, quod Spiritus S. dono caruerit. Loca quedam illud ipsum testantia explican-

^c Vid. Grot. in locum, atque etiam Maldonatum.

tur. Solcuntur etiam ea de re quæstiones duæ. Ostenditur, apostolum justificationem ex evangelio, oppositè ad legem, adstruere apodictico argumento a donis illis Spiritus S. conspicuis, quæ fidem evangelii in primæva ecclesia passim sequebantur. Lux inde affertur Grotii observationi satis frequenti, Spiritum sc. Sanctum in N. T. post fidem poni.

1. RESTAT ut breviter agamus de altero illo in lege gratiæ auxiliaris defectu, auxilii nimirum interni, h. e. doni Spiritus Sancti. Sane erat impossibile, ut ad spiritualem justitiam adducerentur homines per eam legem, quæ ipsis nullum Spiritus auxilium vel promiserit vel dederit. Absque enim divina illa ac potente Spiritus S. vi atque efficacia fieri omnino non potest, ut quis a vitiis purgetur, aut a dominatrice vi ac tyrannide peccati liberetur; nedum ut ad egregiam illam sanctitatem, ad opera illa vere heroica, quæ tanto præmio, quantum est æternæ vitæ donum, aliquatenus convenient, alacri constantique animo feratur.

2. De hoc fœderis Mosaici maximo defectu passim etiam loquitur apostolus; nimirum hoc nomine ministerium legis appellat *διακονίαν γράμματος*, 2 Cor. iii. 6. quia sc. ministratio erat mere externa, non tantum ex præceptis externis et carnalibus conflata, sed omni interna *ἐνεργεία* atque efficacia prorsus vacua. In hunc sensum se plenius explicat ver. 7. cum de lege iterum dicit, quod sit *διακονία τοῦ θανάτου ἐν γράμμασιν ἐντετυπωμένη ἐν λίθοις*, *ministerium mortis in literis positum atque informatum lapidibus*; dicitur enim *lex ministerium in literis positum et informatum lapidibus*, tum quia præcepta ejus erant maximam partem externa, tum imprimis quod exterius tantum proposita erant, nulla Spiritus vi atque

efficacia comitata, quæ ad interiorem hominem atque ad ipsum cor penetraret. Evangelium contra hoc ornat elogio, quod sit *διακονία πνεύματος*, ver. 6. *ministerium Spiritus*; quia sc. præcepta ejus sint tum sua natura spiritualia, tum imprimis magna Spiritus vi atque efficacia interius in cordibus hominum impressa atque insculpta. Apostolum enim, cum evangelium appellat *διακονίαν πνεύματος*, non modo genium ac naturam ipsius evangelicæ doctrinæ, (ut multi putant,) sed et vim hanc divini Spiritus, ipsam individuo nexu comitantem, respicere, luce clarius est ex loco illo 2 Cor. iii. 3. ubi de evangelio a Corinthiis, ipsius ministerio, fide accepto dicit apostolus, quod sit *ἐπιστολή Χριστοῦ ἐγγεγραμμένη, οὐ μέλαν, ἀλλὰ πνεύματι Θεοῦ ζῶντος, οὐκ ἐν πλαξὶ λιθίναις, ἀλλὰ ἐν πλαξὶ καρδίας σαρκίνας*, *Epistola Christi inscripta, non atramento, sed Spiritu Dei vivi; non in tabulis lapideis, sed in carnis tabulis cordis*; quæ posteriori verba manifeste alludunt ad discrimen inter ministerium legis et evangelii, in hoc præcipue positum, quod lex exterius tantum data sit, ac scriptis tabulis consignata; evangelium vero interius administratum, ac Spiritu Dei vivi in ipsis hominum cordibus inscriptum. In hunc etiam sensum procul dubio interpretandus est apostolus, Rom. viii. 2. cum de evangelio, opposite ad legem, (de qua capite præcedente fuse egerat,) locutus, vocat illud *νόμον τοῦ πνεύματος τῆς ζωῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ*, *Legem Spiritus vitæ*, seu vivificantis, *in Christo Jesu*, hic enim τὸ πνεῦμα τῆς ζωῆς non respicere ipsam legis evangelicæ naturam, spiritualibus præceptis atque ad spiritum hominis penetrantibus constantem, (quod video nonnullis placuisse,) manifestum est; quia Spiritus ille

dicitur esse, non in ipsa lege evangelica, sed in Jesu Christo, sc. tanquam capite, atque ab eo in ecclesiam, corpus ejus, derivatus. Dicitur autem (ni fallor) evangelium lex hujus Spiritus, quia tum in evangelio promissus sit, tum illud individuo nexu comitetur. Ad hæc per Spiritum ipsius Christi, non per nudam evangelii doctrinam, liberari homines a lege peccati ac mortis, nisi volumus aperte Πηλαγιανίζειν, omnino fatendum est. Quid, quod si hæc interpretatio admittatur, lex Mosis, qua moralia præcepta continet, perinde atque evangelium, dici possit ministerium ac lex Spiritus; cum, teste apostolo, Rom. vii. 14. sua sit natura πνευματικῆ, *spiritualis*, et spiritualem justitiam doceat. His omnibus clarissimam lucem affert locus ille Gal. iii. 14. ubi κατάρα τοῦ νόμου, *maledictioni legis*, de qua mentionem fecerat versu præcedente, opponit apostolus εὐλογίαν τοῦ Ἀβραάμ, *benedictionem Abrahami*, eamque benedictionem exponit per ἐπαγγελίαν τοῦ πνεύματος, *promissum Spiritus*, seu Spiritum promissum. Promissum igitur Spiritus Sancti magnum est illud fœderis evangelici privilegium, in quo ejus ἐξοχή supra legem ac summa excellentia præcipue sita sit. Pro coronide adjiciam testimonium sancti Johannis, evangelii ejus i. 17. ὁ νόμος διὰ Μωσέως ἐδόθη, ἡ χάρις καὶ ἡ ἀλήθεια διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐγένετο· ubi (ut notat Grotius) in transeursu confodit apostolus dogma Ebionis, Jesum Mosi posthabentis, jam ipsius tempore ecclesiæ Christi nimis notum. Ἀλήθεια autem opponitur umbris legis; χάρις præcipue est copia illa Spiritus passim in Christianos effusa, statui veteris legis incognita. Drusio enim, qui χάρις hic non per ἦν, sed ἦν, *benignitas*, h. e. *gratuitus Dei favor*, exponendum censet, repugnant

verba, ver. 14. et 15. quæ de gratia illa, qua plenus est Christus, quæque ex ejus plenitudine in nos dimanant, aperte loquuntur.

3. Jam hic etiam quæstionem unam et alteram solvendam exhibebimus. 1°. Quæritur, An nullum omnino extet in lege Mosis Spiritus Sancti promissum? Resp. Legem, si per eam intelligas pactum in monte Sinai factum, et mediatore Mose populo Israelitico datum, (quæ, ut modo diximus, est maxime propria ac genuina ipsius in Paulinis Epistolis notio atque acceptio,) nullum Spiritus Sancti promissum continere, manifestum est. Si, inquam, per eam intelligas pactum in Sinai factum; quia in hagiographis et scriptis propheticis, quæ nomine legis et Veteris Test. laxius sumpto non raro veniunt, de Spiritu Sancto, tum ex gratia divina promisso, tum precibus hominum impetrato, passim legimus. Imo et in Mosaicis scriptis, licet non in ipso Mosaico fœdere, promissum (ni fallor) satis clarum de gratia Spiritus Sancti Israelitis a Deo danda reperire est. Ejusmodi certe est illud Deut. xxx. 6. *Circumcidet Jehova Deus tuus animam tuam et animam seminis tui, ad diligendum Jehovam Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Etenim circumcisionem cordis, præsertim ejusmodi, qua ad Deum toto corde diligendum homines præparentur, non sine magna Spiritus Sancti vi atque efficacia fieri posse, apud omnes, qui a Pelagio diversum sentiunt, in confesso est. Sed hoc etiam ad evangelicam justitiam pertinebat, quam sub cortice externorum rituum et ceremoniarum latitantem primum Moses ipse, dein prophetæ alii digito quasi commonstrarunt. Justitia enim fidei, quæ in evangelio *πεφανερωται*, olim erat *ὑπὸ τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν μαρτυρουμένη*, ut diserte

affirmat apostolus Rom. iii. 21. Dixi autem, exerte hanc Spiritus Sancti promissionem in ipso Mosaico fœdere non haberi. Addam aliquid amplius, partem eam fuisse Novi Testamenti, ab ipso Mose promulgati. Nam fœdus cum Judæis sancitum Deut. xxix. et seq. (in quo hæc verba reperiuntur,) plane diversum fuisse a fœdere in monte Sinai facto, adeoque renovationem continuisse pacti cum Abrahamo initi, h. e. fœderis evangelici tum temporis obscurius revelati, multis argumentis demonstrari potest. 1^o. Diserte dicitur, cap. xxix. 1. verba, quæ ibidem sequuntur, fuisse *verba fœderis, quod Deus præcepit Mosi, ut pangeret cum Israelitis, præter fœdus illud, quod pepigerat cum illis in Chorebo*. Qui renovationem tantum hic intelligunt fœderis in monte Sinai facti, nugas agunt, quin et textus ipsius apertissimis verbis contradicunt. Neque enim verba fœderis in Sinai facti repetita ac renovata ullo sensu dici possunt verba fœderis, quod Deus sancivit præter illud, quod in monte Sinai pepigerat. 2^o. Diserte dicitur, hoc fœdus idem prorsus fuisse cum eo, quod Deus juramento sanciverat cum Israelitici populi majoribus, Abrahamo puta, Isaaco et Jacobo, ejusdem cap. ver. 12, 13. quod fœdus ipsum evangelicum fuit, obscurius revelatum, ipso apostolo Paulo interprete, Gal. iii. 16, 17. 3^o. Nonnulla hujus fœderis verba citat Paulus, ut verba fœderis evangelici, quæ fidei justitiam manifesto præ se ferant; vide Rom. x. 6. et seq. coll. Deut. xxx. 11. et seq. Haud me fugit esse nonnullos, qui statuunt, hæc Mosis verba ab apostolo ad fidei justitiam per allusionem tantum accommodari: sed fidem non faciunt, cum Paulus verba ista manifesto alleget ut ipsissima verba justitiæ fidei, h. e. fœderis evangelici, in quo justitia

ista revelatur. Atque, ut verum fatear, semper existimavi, allusiones istas (ad quas confugiunt quidam tanquam ad sacrum suæ ignorantiae asylum) plerumque aliud nihil esse, quam sacræ Scripturæ abusiones manifestas. Sed non necesse erat, hoc saltem in loco, ut tali κρησφυγέτω uterentur. Nam 4^o. quæcunque in hoc fœdere continentur, in evangelium 78
mire quadrant. 1. Quod ad præcepta attinet, præscribuntur hic ea tantum, quæ ad mores pertinent, et per se honesta sunt; illorum rituum, qui, si verba spectes, pueriles videri possent, quorumque totum fœdus legale fere plenum est, nulla facta mentione. Addas, totam illam obedientiam, quæ hic requiritur, ad sincerum sedulumque studium Deo in omnibus obediendi referri; vid. cap. xxx. 10, 16, 20. 2. Ad promissa quod spectat, plenam hic omnium peccatorum, etiam gravissimorum, remissionem post peractam pœnitentiam repromittit Deus cap. xxx. 1—4; quæ gratia in fœdere legali nusquam concessa est, ut supra fusius ostendimus^d. Deinde gratia Spiritus Sancti, qua corda hominum circumcidantur, ut Jehovam diligant ex toto corde atque ex tota anima, hoc in loco, de quo agimus, (nempe prædicti capituli ver. 6.) clare promittitur. Hui! quam procul ab usitata Mosaicorum scriptorum vena! 5^o. Fœdus illud, de quo prædixit Jeremias xxxi. 31. et seq. fœdus esse evangelicum, negarit Christianus nemo; cum divinus auctor Epistolæ ad Hebræos idipsum expresse doceat, viii. 8. et seq. Jam quæ de pacto isto prænuntiat propheta, omnia huic fœderi Moabitico ad amussim respondent. Appellat suum fœdus Jeremias fœdus novum, ab eo, quod cum majoribus populi Israelitici Ægypto exeuntibus pepi-

^d [VIII. 7, &c. p. 139. &c.]

gerat Deus, omnino diversum ; idem etiam de Moab-
itico fœdere dicit Moses. Causam reddit Jeremias,
cur novum Deus pactum, Sinaiticum aboliturus, mo-
litus fuerit ; nempe, quod Israelitæ, præpotentiore
gratia destituti, Sinaiticum illud irritum fecissent,
præceptis ejusdem non obtemperando, ver. 32. Ean-
dem causam et Moses manifeste designat ; *Nondum,*
inquit, *dederat vobis Jehova mentem ad cogno-*
scendum, et oculos ad videndum, et aures ad audi-
endum, usque ad diem hunc, Deut. xxix. 4. q. d.
Pactum prius vobiscum pepigerat Deus, in quo vo-
luntatem suam præceptis, tum promissis tum minis,
tum denique miraculis omne genus satis superque
communitis, vobis ipsis patefecerat. Sed vidit fœdus
illud parum vobis profuisse ; vidit vobis opus esse
efficaciore adhuc gratia, qua nempe corda vestra cir-
cumcidantur, &c. ideoque novum fœdus meditatur,
in quo gratiam illam efficacissimam vobis adstipula-
turus sit. Eandem autem cordis circumcisionem
procul dubio designant verba Jeremiæ ver. 33. præ-
dicti capitis ; *Indam legem meam menti eorum, et*
cordi eorum inscribam eam. Porro remissio ista
omnium peccatorum, quæ pœnitentibus promittitur
a Mose Deut. xxx. 1. et seq. a Jeremia etiam clare
exprimitur prædicti cap. ver. 34. *Ero propitius ini-*
quitatibus eorum, et peccatorum ipsorum et trans-
gressionum ipsorum non recordabor amplius. Deni-
que Jeremias claritatem ostendit adeoque facilitatem
præceptorum, quæ in novo suo fœdere contineban-
tur, ob quam Dei populo non opus esset laboriosa
disquisitione, aut exactiori disciplina, ut præcepta
istius fœderis cognoscerent implerentque, ejusdem
capitis ver. 34. Idem Mosen quoque voluisse mani-
festum erit, si verba ejus Deut. xxx. 11. et. seq. cum

iis, quæ apostolus ad eundem locum disserit Rom. x. 6. et seq. accuratius perpenderit. Mihi certe clara videntur omnia. 6^o. ac postremo, ut res hæc tota extra omnem controversiæ aleam ponatur, ipsi Hebræorum magistri ea, quæ Deut. xxix. et deinceps continentur, ad Messias tempus omnino referenda censuerunt. Testem advoco fide dignissimum P. Fagium, qui ad Deut. xxx. 11. hæc annotat; “ Dili-
 “ genter observandum est, ex consensu Hebræorum
 “ caput hoc ad regnum Christi pertinere. Unde
 “ etiam Bachai dicit, hoc loco promissionem esse,
 “ quod sub Rege Messiah omnibus, qui de fœdere
 “ sunt, circumcisio cordis contingat, citans Joelem,
 “ ii. 28.” Fagio consentit Grotius in ejusdem capitis ver. 6.

In his ideo prolixius immorati sumus, tum, ut vel hinc manifestum fieret, omnia, quæ in Mosaicis scriptis continentur, ad fœdus Mosaicum, proprie sic dictum, nequaquam pertinere, adeoque quam vera ac prorsus necessaria sit distinctio Augustini, (de qua aliquoties jam dictum est,) legem veterem *κυρίως* sumptam ad solum pactum in monte Sinai factum restringentis; tum imprimis ut exinde etiam clare eluceret optima ac sapientissima Dei *οικονομία*, quam in dispensando gratiæ suæ fœdere usurpare visum ipsi fuerit. Pepigerat Deus cum Abrahamo fœdus illud gratiosum multis ante latam legem annis; cui postea placuit ipsi superaddere pactum aliud, multis, iisque operosis, ritibus ac ceremoniis conflatum, quibus rudem et carnalem Abrahami posteritatem, recens ex Ægypto eductam, adeoque paganis ritibus ac superstitionibus nimis addictam, in officio contineret, i. e. ab ethnicorum idololatriæ cultu arceret. Quod optime expressit Tertullianus (adversus

Marcion. 2.^e) his verbis: “ Sacrificiorum onera, et
 “ operationum et oblationum negotiosas scrupulosi-
 “ tates nemo reprehendat, quasi Deus talia proprie
 “ sibi desideraverit, qui tam manifeste exclamat,
 “ *Quo mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum?*
 “ et, *Quis exquisivit ista de manibus vestris?* sed
 79 “ illam Dei industriam sentiat, qua populum primum
 “ in idololatriam et transgressionem ejusmodi officiis
 “ religioni suæ voluit adstringere, quibus superstitio
 “ sæculi agebatur, ut ab ea avocaret illos, sibi jubens
 “ fieri quasi desideranti, ne simulacris faciendis de-
 “ linqueret;” conf. Gal. iii. 19. Sed prævidens sa-
 pientissimus Deus, fore, ut hoc ipsius propositum
 populus obtusi pectoris non intelligeret, post latam
 istam carnalem legem, præcepit Mosis, ut Israelitis
 novum fœdus promulgaret, seu potius ut vetus illud,
 cum Abrahamo ante multos annos innotuit, (quod
 spirituales imprimis justitiam exigebat, et gratia ac
 misericordia plenum erat,) renovaret: ut hinc tandem
 cognoscerent Judæi, pactum Abrahamiticum etiam
 post latam legem rituales adhuc viguisse, adeoque
 pro fœdere habendum fuisse, cui unice salus ipsorum
 inniteretur; conf. Gal. iii. 17. Quis hic cum apo-
 stolo non exclamet, Ὁ βάθος πλούτου καὶ σοφίας καὶ
 γνώσεως θεοῦ Rom. xi. 33? Sed hæc obiter, etsi laud-
 quaquam frustra. Pergo.

4. 2^o. Hinc solvi possit et altera quæstio: An sci-
 licet Spiritus Sanctus V. Testamenti temporibus da-
 tus fuerit? Resp. Omnino: neque enim alias tot
 viros pios ac sanctos sub lege Mosis fuisset reperire.
 Sed 1^o. datus erat Spiritus sub lege quidem, at non
 ex lege; quippe hæc gratia mutuo erat accepta ac
 sumpta de gratia evangelica. Hinc Spiritus pro-

missus dicitur a Paulo, in eo quem modo laudavimus loco, *εὐλογία τοῦ Ἀβραάμ*, *benedictio Abrahami*, non Mosis, Gal. iii. 14. quia scilicet ingens hoc beneficium ex promisso Abrahæ factò, non ex Mosaico fœdere, i. e. ex evangelio, non ex lege effluxit.

5. 2^o. Deinde, etsi Spiritum suum largitus est Deus ipsum rogantibus tam sub Veteri, quam sub Novo Testamento, magno tamen discrimine id factum fuit. Legis enim temporibus dedit Dominus Spiritus sui gratiam parce admodum ac restricte; sub evangelio largiter atque effusissime. Hinc tempore N. Fœderis dicitur Deus *οὐκ ἐκ μέτρου διδόναι*, *non admitti*, sed effundere Spiritum, primum in caput Christum, deinde in ecclesiam, corpus ejus, Joh. iii. 34. Jam enim Spiritum *ἔξέχεεν ἐφ' ἡμᾶς πλουσίως*, Tit. iii. 6: vide et Joh. vii. 38, 39. Act. ii. 17. Huc etiam refero locum illum S. Johannis satis celebrem Joh. i. 16. ubi qui sub evangelio vivunt, dicuntur *ἐκ τοῦ πληρώματος Χριστοῦ* accepisse *χάριν ἀντὶ χάριτος*, *gratiam super gratiam*, h. e. *gratiam abundantem*, sive *gratiam gratia cumulata*; sic enim verba illa interpretanda esse censeo; ut hic *χάρις ἀντὶ χάριτος* idem plane sit, quod Siracides *χάρις ἐπὶ χάριτι* dixit xxvi. 15. *χάρις ἐπὶ χάριτι γυνὴ αἰσχυνηρὰ καὶ πιστὴ*, *gratia eumulata est pudica et fidelis uxor*; q. d. Pudicitia quidem in uxore magna est Dei gratia, si autem accesserit et fidelitas, talis uxor gratia cumulata est, quippe cujus pudicitiae, thesauro ex se satis amplo, fidelitas etiam, rara mulierum virtus, quasi in cumulum addatur. Negat quidem Beza, se reperisse unquam hanc particulam *ἀντὶ* ita usurpata ab idoneo aliquo autore. Sed opportune huic occurrit nobisque succurrit Davenantius noster^f, qui

^f De Just. Actuali, c. 61. p. 614.

meminit ab amico suo doctissimo Dunæo hunc usum hujus præpositionis observatum fuisse apud Theognidem hisce versiculis;

Τεθναίμην δ', εἰ μὴ τι κακῶν ἄμπανμα μεριμνῶν
Εὐροίμην, δοίης τ' ἀντ' ἀνιῶν ἀνίας.

Moriar, si nullum levamentum malarum curarum invenero, dederisque calamitates super calamitates⁵.

6. Objiciet hic fortasse aliquis, extitisse sub lege nonnullos Spiritus Sancti donis instructissimos, quibuscum vel pauci vel nulli in ecclesia Christiana sint conferendi; quo in censu fuerunt Moses ipse, David, ac prophetæ omnes.

Resp. 1. Horum numerus perpusillus erat; non autem quid in paucos gratiæ contulerit, Dominus hic quæritur, sed quam erga populum Judaicum ordinariam dispensationem secutus sit. 2. Paucis istis sub lege evaserunt quamplurimi sub evangelio donis Spiritus Sancti atque admirabili vitæ sanctitate pares, imo longe superiores; quo in numero fuerunt apostoli ac plerique primorum temporum Christiani. 3. Nunquam tanta ullis tunc contigit Spiritus S. gratia, quæ non sæculi obscuritatem ac statum infantilem aliqua ex parte resiperet. Hinc qui inter prophetas V. T. primas tenuerunt, τῶ μικροτέρῳ ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν ab ipso Christo postponuntur, Matt. xi. 11. nimirum amplitudine ac perspicuitate revelationis et notiæ de liberatione humani generis; namque id ante Johannem mysterium

⁵ [Sed verba ἀντ' ἀνιῶν ἀνίας, servata solita τοῦ ἀντὶ significatione, licet ita vertere, *Alias et novas calamitates in loco præsentium*. Desideratur adhuc exemplum, ubi ἀντὶ significationem admittit, imo requirit, similem loco illi Sophocli. Antig. 594. πῆματα ἐπὶ πῆμασι πίπτουτα.]

fuit, Johannis tempore cœpit illucescere; post Christi passionem et resurrectionem, et missum Spiritum Sanctum, meridiana luce clarius patuit; confer Matt. xiii. 17. 1 Pet. i. 10, 11, 12.

7. 3°. Denique, (quod quæstioni propositæ, qua argumentationem apostoli spectat, plene, imo cumulate satisfacit,) etsi datus erat olim in et sub lege 80 Spiritus Sanctus, exhibito tamen evangelio, non amplius legis sectatoribus impertiebatur; sed eorum erat privilegium, qui relicta lege fidem evangelio habuerunt. Deseruit sanctissima columba Mosis arcam, ac pedem sedemque fixit in Christi ecclesia; literam dereliquit Spiritus, velut corpus anima, evasitque jam lex vere mortua litera; cujus rei manifestum erat indicium conspicua Spiritus Sancti dona a synagoga ad ecclesiam translata, cum in die Pentecostes nou fulgur et tonitru et horrore plena tempestas, (ut olim hoc ipso die data e monte Sinai lege veteri,) sed vis ingens divini Spiritus cœlitus delapsa, et linguarum ignitarum forma aspectabilis, super apostolis resideret; ac paulo post in ipsum vulgus Christianorum dona eadem miraculosa passim ac liberaliter effusa essent; legis interim cultores^b nullo manentē spiritu, nisi *spiritu soporis*, Rom. xi. 8. digno utique iis spiritu, qui corpore ipso oblato umbram deperirent.

8. Atque ita de improvise incidimus in illud ipsum, quod ad extremum notandum reservavimus; apostolum scilicet alicubi doctrinam suam de justificatione per fidem, sine Mosaicæ legis operibus, stabilitum ire conspicuis istis et miraculosis Spiritus Sancti donis, quæ fidem evangelio habitam passim sequebantur. Argumento hoc plane apodictico utitur

^b [Legendum forsā *cultoribus*.]

Paulus ad Gal. iii. 2. hac ἐρωτήσῃ· *Hoc solum velim discere ex vobis, Ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* de Spiritu enim miraculorum loqui hic apostolum patet ex ver. 5. *Qui igitur subministrat vobis Spiritum, et efficit virtutes in vobis, ex operibus legis, an ex auditu fidei id facit?* Quasi dicat, Tantum huic rei, de qua nunc interrogo, respondete, et satis est ad vos revincendos; Dona illa Spiritus eximia, quæ accepistis, habuistis ex circumcisione et cæteris factis legis, an ex auditu fidei? quod si ex fide in Christum (quod inficiari non audebitis) omnia hæc bona estis assecuti, (ut de ingratitude nihil dicam) quæ est hæc vestrum iusania, ab evangelio, argumento tam evidente atque in ipsum sensum incurrente, comprobato, desiscere? Hinc cum in Hierosolymitano concilio magna illa agitaretur quæstio, An circumcisio et cæteri ritus Mosaici gentibus ad Christum conversis imponendi essent? Petrus apostolorum princeps hoc uno argumento negativam quæstionis partem adstruxit, quod scilicet Cornelio, iisque qui cum eo erant, gentium primitiis, ipsius ministerio evangelizatis dona hæc Spiritus Sancti conspicua a Deo data essent; hoc enim facto inquit Petrusⁱ, ὁ καρδιογνώστης Θεὸς ἐμαρτύρησεν αὐτοῖς, δὸς αὐτοῖς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καθὼς καὶ ἡμῖν, *Seruator cordium Deus testimonium illis præbuit, (quod scilicet sine circumcisione ipsi placerent,) dando ipsis Spiritum illum Sauctum, æque ac nobis, qui nempe circumcisi sumus, ac Mosis instituta observamus. Testimonium enim illud fuisse Spiritum donorum miraculorum, ex ipsa historia liquet, Act. x. 46. Hinc etiam quibus inter gentes post fidem evangelio habitam Spiritus hic*

ⁱ Acts xv. 8.

datus erat, *σφραγιζέσθαι* dicuntur, et quasi arrhabonem quendam a Deo accepisse, scilicet gratiæ ipsius in præsentī, futuræque gloriæ : 2 Cor. i. 22. Eph. i. 13. et iv. 30. His enim in locis, ut et alibi sæpe, per *Spiritum* intelligi dona hæc Spiritus conspicua, vel hinc manifestum est, quod apostolus Spiritum illum aperte designet, et quasi digito monstret, ipsumque in testimonium proferat, tum iis, ad quos scribit, tum aliis quibuscunque, de veritate evangelicæ, doctrinæ convincendis abunde sufficiens ; ut de Spiritu hoc gentibus impertito non incommode dici possint, quæ de circumcisione locutus est apostolus, quod scilicet fuerit *σφραγὶς τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως τῆς ἐν τῇ ἀκροβυστία, sigillum justitiæ fidei, quam præputiati habuerunt*, Rom. iv. 11.

9. Hæc autem (ut obiter id dicam) lucem afferunt observationi, quæ doctissimo Grotio mirifice adeo placuit, ut eam ex quovis fere loco colligendi ansam arripuerit ; sc. Spiritum S. in N. T. sæpissime poni post fidem. Vera enim est hæc observatio, si de copiosa hæc donorum conspicuorum effusione, quæ primævæ ecclesiæ propria erat, intelligatur ; vel etiam de pleniori illa Spiritus mensura, quam per et post fidem charitate formatam etiam nunc accipiunt fideles. Interim specialem aliquam Spiritus divini operationem fidem efficacem semper præcedere, certum est ; nec credo aliam fuisse summi viri mentem, etsi nonnullis in locis verba ejus nimis crude concepta videantur.

CAP. XII.

Consecraria duo ex iis, quæ in tribus præcedentibus capitulis de infirmitate legis explicantur, deducta. Quorum prius est, Apostolum ejusmodi tantum opera a justifi-

catione ἀπλῶς secludere, quæ sine gratia evangelii, vi legis Mosaicæ, et (consequenter) naturalis facta sunt. Id porro triplici argumento ex ipsis Pauli Epistolis demonstratur. Tribus Paræi argumentis pro contraria parte ita respondetur, ut lux inde clarior deducto consectorio accedat.

1. IN explicando apostoli argumento ab infirmitate legis sumpto si cui forte nimis prolixi visi sumus, expendat, oro, quantopere hæc conducant tum ad Paulum rectius intelligendum, tum ad doctrinam Jacobi de justificatione ex operibus firmius stabilendam; quod utrumque ut intelligat, jam operam dabo.

2. Ad prius illud quod attinet, quisquis ea, quæ diximus, penitius intellexerit, facile is videbit, opera, quæ Paulus a justificatione simpliciter ^kexcludit, ejusmodi tantum esse, quæ sine gratia evangelica perficiuntur vi legis Mosaicæ, vel etiam naturalis: (nam quæ adversus legem Mosaicam disputat Paulus, multo fortius, ut jam alicubi notavimus¹, contra naturæ legem militant:) est illud evidentissimum ex antedictis consectorium; cum enim Paulus hoc imprimis argumento pugnat contra justificationem ex lege, sive Mosis sive naturæ, quod utraque ista lex iis viribus plane destituta sit quibus homines ad justitiam veram, Deo dignam, ipsique gratam adducantur; manifeste hinc sequitur, ab ipso istam solummodo justitiam eaque opera a justificatione excludi, quæ ab infirmitate humana in statu sive legis, sive naturæ proficiscuntur.

3. Sed hoc ipsum aliis etiam rationibus ex ipso Paulo petitis liquido constat: ac primo quidem non

^k Quid hac voce *simpliciter* indiget auctor, explicat supra VII. 3. [p. 121.] et in Examine Censuræ, Resp. ad Animadvers. XX. 1. inque Apologia contra Tullium, VIII. 6. GRABE.

¹ [VI. 10. p. 119.]

leve aut contemnendum hujus rei argumentum mihi videtur, quod apostolus, contra operum justitiam disputans, *opera* simpliciter nominet, nullo addito nisi *legis* epitheto; nunquam vero (quod sciam) *bona* opera a justificatione excludat. Hoc ipso enim non obscure innuit, se opera tantum ex ingenio viribusque humanis profecta, omnique supernaturali bonitate destituta rejicere. Fateor, ab ipso alicubi nominari ἔργα τὰ ἐν δικαιοσύνῃ, *opera justitiæ*, Tit. iii. 5. sed ibidem se explicat verbis immediate sequentibus, ὧν ἐποιήσαμεν ἡμεῖς, *quæ ipsi* (h. e. ex propriis viribus) *fecimus*. Sed de hoc loco mox plenius acturi sumus. Hinc Eph. ii. opera, quæ a salute excludit apostolus, ἔργα, *opera*, simpliciter appellantur, ver. 9. quæ vero opera tanquam ad salutem necessaria admittit, quibusque perficiendis gratia Christi præparari nos et quasi creari affirmat, ἀγαθὰ ἔργα *bona opera* dicit, ver. 10.

4. 2°. Ex tota apostolicæ disputationis serie illud manifestum fit, ipsum ejusmodi tantum opera rejicere, quæ admissa hominibus gloriandi seque coram Deo efferendi materiam præbere viderentur; vide Rom. iii. 27. et iv. 2. Eph. ii. 9. Id vero de operibus, quæ proprio Marte, sine gratiæ adjutorio efficiamus, dici tantum posse, quis non videt? quæ enim quis opera gratia divina tum præveniente excitatus, tum comitante adjutus præstat, Deo optimo maximo deberi, eorumque gloriam in ipsum, tanquam summum ac primum autorem, redundare manifestum est. Bona hæc, quæ præstamus, opera, non tam opera nostra sunt, quam Dei ipsius in nobis. Nemo autem coram Deo jure gloriari possit ea de re, quam Deo debet. At (inquit Paræus^g) finguntur hæc gratiæ opera procedere simul ex virtute liberi arbitrii, 82

^g In solut. dub. 6. c. iii. ad Rom. p. 221.

ita ut huic aliqua ex parte debeantur. Resp. Bona nostra opera, gratia Dei præeunte, libero arbitrio famulante fieri, non est fictio nostra, sed ipsa veritas, quam et sacræ Scripturæ innumeris fere in locis aperte testantur, et recta ratio nos docet, ac denique universi trium optimorum sæculorum scriptores unanimi consensu agnovere. Neque tamen liberum hoc arbitrium impedit, quo minus tum justitia nostra, tum inde secuta salus Deo, tanquam primo, imo et unico auctori tribuenda sit, cum illud ante et citra gratiam divinam ne tantillum quidem ex se et a se habuisset boni, nempe, quod vere bonum esset, atque ad salutem valeret. Quicquid boni voluntas possit, id gratiæ in solidum debet; tantum quod possit et male agere, ex se habet. Sine ista voluntatis libertate tantum abest ut bona nostra opera fiant, ut ne bona quidem esse possint, aut ad præmium ordinari, magis quam brutorum actiones, aut etiam motus inanimatorum. Posita autem hac libertate gloriam divinæ gratiæ non ita iri diminutum, quin Deo auctori accepta referenda sint, quæcunque facimus bona opera, ex ipsa (ni fallor) adversariorum confessione argumento ἀκαταλύτῳ evicturi sumus.

5. Quippe etiamsi statuunt illi, primam hominis ad Deum conversionem operatione divinæ gratiæ plane irresistibili fieri, agnoscunt tamen unanimi consensu, in actibus bonis subsequenter, saltem quibusdam, ejusmodi arbitrii libertatem, qua renatus ita bene agat, ut possit non agere, imo sæpe non bene agat, cum possit. Diserta sunt imprimis verba theologorum nostrorum in judicio suo synodo Dordracenæ exhibito. Ibi enim ad art. 3, et 4. de conversione, qua denotat actum hominis se ad Deum convertentis, locuti, hæc habent verba, Thes. 3. “Deus homi-

“nem conversum et fidelem non ita semper movet
 “ad bonos actus subsequentes, ut tollat ipsam vo-
 “luntatem resistendi, sed quandoque permittit illum
 “vicio suo deficere a ductu gratiæ, et in particulari-
 “bus multis actibus concupiscentiæ suæ parere.” Et
 in explicatione ejusdem thesæ addunt, “Non deest
 “quidem nobis per totum vitæ nostræ cursum motus
 “et ductus Spiritus divini; ita tamen ut gratiæ de-
 “esse possimus, imo ut nimis sæpe desimus, ac sub-
 “inde concupiscentiis nostris libere turpiterque pa-
 “reamus^h ;” quod probant ex locis illis, Gal. v. 17.
 Eph. iv. 30. Denique inter theses heterodoxas hanc
 damnant, (ut certe merito damnanda est, atque ad
 inferos, unde prodiit, releganda,) Thes. 4. “Homi-
 “nem non posse plus boni facere, quam facit, nec
 “plus mali omittere, quam omittit.” Et in explica-
 tione contendunt, thesin istam falsam esse, sive de
 homine irrogenito intelligatur, sive etiam de re-
 nato. His autem positis quæro, Utrum bona ista
 opera subsequencia, quæ ita libere ab homine renato
 fiant, ipsi gloriandi materiam præbeant, annon potius
 eorum honos et gloria in Deum autorem referenda
 sit? posterius illud dubio procul strenue affirmabunt
 adversarii, a priori toto animo abhorrebunt: conce-
 dant igitur necesse est, concursum liberi arbitrii cum
 gratia divina in operibus bonis non impedire, quo
 minus eorum honos Deo in solidum debeat; neque
 homini ipsi ullam in sese gloriandi materiam præbere:
 neque enim alium liberi arbitrii concursum in ullo
 bono opere statuimus, quam ipsi adversarii in multis
 bonis operibus agnoscunt. Sed hæc obiter; pergo.

6. 3°. Denique, hanc esse Pauli mentem (nempe,
 ut rejiciat opera tantum absque gratia evangelii facta)

^h [V. Act. Syn. Dord. part. II. p. 133.]

vel ex iis ipsis locis, in quibus opera in universum omnia imprimis excludi videantur, rem accuratius perpendenti facile liquebit. Proferantur loca ista, atque agmen ducat textus ille nobilis, qui contra justificationem ex operibus argumentum plane Herculeum suppeditare nonnullis videtur, atque in eorum disputationibus proram pene ac puppim facit: is est ad Philipp. iii. ubi cum omnia alia (modo Christum lucrifaceret) se pro retrimto duxisse dixisset apostolus ver. 7. addit ver. 9. καὶ εὐρεθῶ ἐν αὐτῷ, μὴ ἔχων ἐμὴν δικαιοσύνην, τὴν ἐκ νόμου, ἀλλὰ τὴν διὰ πίστεως Χριστοῦ, τὴν ἐκ Θεοῦ δικαιοσύνην. Quam hic reprobet, quamque suspiret justitiam apostolus, cuivis sine partium studio ejus verba expendenti in aperto erit. Ad prius quod attinet, appellat justitiam istam *justitiam suam*, τὴν ἐμὴν δικαιοσύνην, h. e. ex suis viribus profectam; neque enim justitiam illam, quam in ipso gratia Christi effecerat, suam dicere fuisset ausus, quin potius Christo autori grato animo acceptam tulisset. Deinde ne cui mens ejus dubia esset, apertius adhuc loquitur τὴν ἐκ νόμου, *eam quæ ex lege est*, h. e. eam, quæ per legem humana ope sine gratia evangelii parari possit: denique hanc legis justitiam distincte ac per partes verbis præcedentibus exposuerat. Summa hæc est; quod non paucis carnalibus legis privilegiis ornatus erat, quod omnia legis ritualia accurate observaverat, quodque a peccatis gravioribus, quibus pœna in lege annexa fuit, plane insons erat; ut secundum legis istius judicium omnino ἀμεμπτον, *inculpabilem* se dicere non vereatur. Jam secundo in loco, quam exoptet justitiam apostolus, non minus evidens est; 83 nimirum, τὴν διὰ πίστεως Χριστοῦ, τὴν ἐκ Θεοῦ δικαιοσύνην ἐπὶ τῇ πίστει, h. e. *justitiam illam, quam per fidem Christi Deus in nobis operatur, et propterea ut*

opus suum approbat. Optime enim hic Estius, “Non,” inquit, “nostram vocat justitiam quæ *in nobis* est, sed quæ *a nobis*; sicut et Dei justitiam, quæ *a Deo* est, non quæ *in Deo*, et qua Deus ipse “justus sit.” Neque enim in textu dicitur *δικαιοσύνη Θεοῦ*, *justitia Dei*, (quanquam si ita esset, genitivus Θεοῦ causam efficientem denotaret, ut Rom. x. 3.) sed ἡ ἐκ Θεοῦ δικαιοσύνη, *illa quæ ex vel a Deo est justitia*: qualis autem sit hæc, quæ a Deo per fidem est, justitia, verbis immediate sequentibus ver. 10. distinctius etiam explicat Paulus, τοῦ γινῶναι αὐτὸν καὶ τὴν δύναμιν τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ, &c. *ut cognoscam eum (Christum scilicet) et vim resurrectionis ejus, et communionem perpersionum ejus, dum conformis fio morti ejus.* Obtinet hic communis theologorum regula, verba scilicet *notitiæ* in Scripturis sæpissime connotare affectus. Cognoscere igitur Christum ejusque mortem et resurrectionem est in se sentire re ipsa et experiri vim mortis ac resurrectionis Christi ejusmodi, qua quis peccato ipse moriatur, inque novam ac sanctam vitam resurgat: confer Rom. vi. per totum. Atque hæc cognitio dubio procul est τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως Χριστοῦ, *supereminens illa Christi cognitio*, quam tanto affectu anhelat ver. 8. hujus capituli. Certe vix potuit apostolus (meo quidem judicio) suam de utraque justitia, legis et evangelii, mentem apertius exprimere.

7. Ad locum illum jam venio, quem modo strictim notavi, scilicet Tit. iii. 5, 6. Οὐκ ἐξ ἔργων τῶν ἐν δικαιοσύνη, ὧν ἐποιήσαμεν ἡμεῖς, ἀλλὰ κατὰ τὸν αὐτοῦ ἔλεον ἔσωσεν ἡμᾶς διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας καὶ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἀγίου, οὗ ἐξέχεεν ἐφ’ ἡμᾶς πλουσίως, &c. Si quæras, cujusmodi opera a justificatione ac salute excludat apostolus, clare hic respondet ipse, ἃ ἐποιήσαμεν

ἡμεῖς, pronomine ἡμεῖς emphatice addito, *quæ fecimus ipsi*, h. e. ex propriis viribus. Deinde operibus hujusmodi ex humano ingenio profectis opponit gratiam illam Dei, ex mera sua misericordia in nos per Christum largiter effusam, qua regeneramur ac renovamur, quaque sola operibus vere bonis idonei reddimur; quodque prioribus ademerat, his concedit operibus, h. e. per hæc, non illa, nos servatos affirmat. Cum enim dicit Paulus, *servari nos διὰ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου, per renovationem Spiritus Sancti*, intelligit omnes illas virtutes ac bona opera, quæ a corde per Spiritum Sanctum renovato fluunt: quippe nuda potentia, facultas, sive (ut loqui amant quidam) habitus infusus cujusvis gratiæ, puta fidei, spei, charitatis, &c. neminem salvat; sed actus cujusque virtutis, seu virtutes ipsæ. Hæc autem apostoli verba plene ac perfecte describunt totum salutis ac justificationis humanæ negotium. Exprimitur enim hic 1°. Causa salutis *προηγούμενη*, scilicet, ἔλεος Θεοῦ, mera *Dei misericordia*, quæ et *χρηστότης καὶ φιλανθρωπία Θεοῦ, Dei bonitas et philanthropia* appellatur ver. 4. 2°. Causa *προκαταρκτικὴ*, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, Christus ejusque meritum. 3°. Medium sive conditio salutis obtinendæ, quæ exprimitur 1. negative, οὐκ ἐξ ἔργων, ὧν ἐποιήσαμεν ἡμεῖς, *non per opera, quæ fecimus ipsi* ex propriis viribus; 2. affirmative ἀλλὰ, διὰ λουτροῦ παλλιγγενεσίας, *per regenerationem illam ac renovationem Spiritus S. quam in baptismo accipimus*. Porro ex hoc textu clare liquet, apostolum a salutis ac justificationis negotio non rejicere omnem inhærentem justitiam, (quippe per justitiam, quæ in nobis per renovationem Spiritus S. efficitur, servari nos diserte statuit,) sed illam solummodo justitiam, quæ ita in nobis inhæret, ut *a nobis* sit, h. e. ex propriis viribus

proficiscatur. Postremo ex his in proclivi est conjicere, quid sibi velit apostolus, cum ver. 7. concludat, nos δικαιωθῆναι τῇ τοῦ Θεοῦ χάριτι, *justificari gratia Dei*; quod scilicet sola Spiritus S. gratia gratis a Deo per Christum nobis impertita ea præstare valeamus, quibus ex pacto evangelico ad justificationem æternamque salutem pervenitur.

8. Huic geminus est locus ille (quem etiam modo laudavimus) Eph. ii. 8, 9, 10. Τῇ γὰρ χάριτί ἐστε σεσωσμένοι διὰ τῆς πίστεως, (καὶ τοῦτο οὐκ ἐξ ὑμῶν, Θεοῦ τὸ δῶρον,) οὐκ ἐξ ἔργων, ἵνα μὴ τις καυχῆσθῃται. Αὐτοῦ γὰρ ἐσμεν ποίημα, &c. Per fidem hic intelligo obedientiam evangelio præstitam; cujus fides, specialiter sic dicta, non tantum initium est, sed et radix ac fundamentum; quam interpretationem rationibus satis firmis jam ante munivimus; ne quis hic nos id petere, quod in quæstione est, arbitretur. Hanc autem obedientiam ne quis sibi tribueret, sollicitè ab apostolo cautum est; ideoque addit, *Hæc autem* (nempe illud ipsum, quod credidistis) *non ex vobis ipsis; est enim Dei donum*; quomodo id verum sit, mox distinctius exponit; interim pergit, *Non ex operibus, ne quis gloriatur*, i. e. non ex operibus, quæ proprio Marte sine gratia Dei edidistis; sic enim (alias nequaquam) materia aliqua gloriandi in vobis ipsis superesse videretur; ut ἐξ ἔργων hic idem valeat, quod ἐξ ὑμῶν. Denique totum illud, quod prius dixerat, *gratia scilicet ipsos servatos, per fidem, idque ex dono Dei, non ex operibus*, confirmat explicatque his verbis: *Opus enim ejus* (nempe Dei) *sumus, utpote creati in Jesu Christo ad opera bona, quæ ante præparavit Deus, ut in iis ambulemus*. Conjungit se hic in prima persona cum Ephesiis apostolus, cum tamen quæ dicit, ad ipsos imprimis spectent. Sensus ergo

est, Tantum abest, ut propriis vestris operibus absque gratia Dei servati sitis, ut e contra non sine admiranda plane gratiæ divinæ vi atque efficacia denuo quasi a Deo formati sitis, atque ex rudi ista mole, in qua ignorantiae ac peccati tenebris olim obsiti jacuistis, veluti creati in id, ut opera jam vere bona, quibus ad justificationem atque æternam salutem pervenitur, proferre valeatis. Nulla igitur relinquitur vobis gloriandi materia; vobis, inquam, saltem, quibus non vulgaris gratia, imo *ὑπερβάλλων πλοῦτος τῆς χάριτος*, ut dicit ver. 7. contigit. Etsi enim hoc apostoli argumentum ad omnes justificados pertinet, est tamen in eo aliquid singulare (ut ex contextu patet) quod Ephesios, prius gentiles, propius respicit, quorum ex idololatria, ac turpissimis paganismi vitiis in lucem evangelii evocatio opus erat Dei eximium ac plane extraordinarium.

9. His locis addi possunt ea, in quibus operibus gratiosam Dei vocationem opponit Paulus, ut Rom. ix. 11. ubi electio hominis ad salutem fieri dicitur, *οὐκ ἐξ ἔργων, non ex operibus, ἀλλ' ἐκ τοῦ καλοῦντος, sed ex vocante*. Hic enim manifestum est, apostolum ea solummodo opera rejicere, quæ quis sua sponte facit, ante et citra omnem vocationem divinam, nequaquam vero ea, quæ præstat homo a Deo gratis vocante præventus atque excitatus; neque enim ista vocationi divinæ repugnant: confer 2 Tim. i. 9.

10. Sic etiam cum *χάριν* et *ἔργα* gratiam et opera ita inter se opponat apostolus, ut illam hæc, hæc illam destruere affirmet Rom. xi. 6. sole meridiano clarius est, ab ipso istiusmodi tantum opera intelligi, quæ absque gratia fiunt; certe enim opera gratiæ gratiam non destruunt. Neque ad rem facit, si dicas, per gratiam, quæ operibus hic a Paulo opponi-

tur, non intelligi gratiam Dei quoad effectum, sed quoad affectum, i. e. gratuitum Dei favorem; esto enim; nihilominus manet illud verum, opera gratiæ, sive quæ gratia Dei in nobis operante fiunt, nullatenus destruere gratiam seu favorem illum Dei, quo nos complectitur; sed illum ipsum aperte stabilire. Gratia enim illa, qua perficiuntur ejusmodi opera, a gratuito Dei favore profluit, atque ea ipsa de causa *gratiæ* nomine insignitur: neque enim gratia dici possit, quod ex gratuito Dei favore non procedit. Ut recte hic cum Paulo argumentemur, Si ex gratiæ operibus servamur, ergo ex gratia; *ἐπεὶ ἡ χάρις οὐκ ἔτι γίνεται χάρις, alioquin gratia non amplius esset gratia.*

11. Ex his jam locis liquere arbitror, apostolum, cum justificari nos ac salvari gratis, gratia, sine operibus, omnemque gloriandi materiam in toto hoc negotio penitus exclusam esse, toties contendat, hoc imprimis fundamento niti, quod quicquid boni ad justificationem ac salutem æternam consequendam a nobis præstitum sit, id totum ex gratia Dei, gratis nobis per Christum data, promanet, ipsique acceptum referri debeat: ac proinde mentem ipsius fuisse, opera solummodo ex libero hominis arbitrio, gratia evangelii destituto, profecta a salutis ac justificationis negotio excludere; *ὅπερ ἔδει δείξαι.*

12. Hisce autem satis luculenter a nobis, ut arbitror, demonstratis acriter repugnat Paræus, multis contendens, hanc Pauli interpretationem corruptam esse glossam, atque omnia universim opera, tam quæ ex fide et gratia evangelii, quam quæ sine ea facta sunt, a justificationis negotio ab apostolo penitus excludi. Argumenta ejus¹ (demptis iis, quæ ad hominem sunt; quippe quæ Stapletoni aliorumque Jesui-

¹ In Rom. iii. dub. 6. p. 220, 221.

tarum hypothesibus opposita, ac proinde ad nos nihil quicquam spectantia) hæc fere sunt.

13. Argumentum 1. “ Operibus malis, vel non bonis, non necesse fuit apostolum detrahere justificationem; hoc enim per se fuit in confesso: At omnia opera sine gratia et sine fide sunt mala, vel non bona, et peccata: absurdum est igitur statuere, apostolum contra ejusmodi opera disputare.” Resp. Argumentum hoc (pace tanti viri dixerim) nihil aliud est, quam ineptum sophisma; etiamsi enim operibus malis vel non bonis neminem justificari in confesso sit; opera tamen sine gratia evangelii facta mala vel non bona esse, apud eos, quibuscum Paulo lis erat, tantum abest, ut in confesso fuerit, ut e contra illud ipsum fuerit τὸ κρινόμενον inter Paulum ipsosque. Strenue negabant hi, affirmabat ille, multis argumentis contendens, ante et citra gratiam evangelii nihil quicquam ab homine præstari posse, quod vere bonum sit, Deove ad salutem æternam gratum acceptumque.

85 14. Arg. 2. “ Abrahami et Davidis opera non erant sine gratia et fide facta; at hæc etiam a justificatione excluduntur Rom. iv. falsum est igitur, quod sola opera sine gratia et fide facta excludantur.” Resp. De Davide non necesse est ut multum laboremus, cum apostolus ibi loci testimonium tantum ex illo citet, quo probet, quod de Abrahamo prius dixerat: ad Abrahamum vero quod attinet, supponit in hoc argumento Paræus, quod in quæstione est, ipsum sc. spectari ab apostolo, qualis erat post revelationem vocationemque divinam ipsi factam. Si enim statuamus, considerari a Paulo Abrahamum, qualis erat ante extraordinariæ vocationis gratiam, tum manifeste concidit totum Paræi

argumentum : posterius autem illud verum esse, non obscure liquet ex capituli citati ver. 1. ubi totius de Abrahamo in sequentibus, saltem usque ad ver. 9. controversiæ status ex professo ponitur his verbis ; *Τί οὖν ἐροῦμεν ; Ἀβραὰμ τὸν πατέρα ἡμῶν εὐρηκέναι κατὰ σάρκα ;* *Quid igitur dicemus ? Abrahamum patrem nostrum invenisse, quod ad carnem attinet ?* duplici quidem ratione construi possunt hæc verba, primo, nota interrogationis ad ἐροῦμεν posita, ut *Τί οὖν ἐροῦμεν* sit tantum quæstionis introductio, (ut vi. 1. et vii. 7. et alibi,) verba sequentia quæstio ipsa introducta, hoc modo ; *Quid igitur dicemus ? nempe, An dicemus, Abrahamum patrem nostrum invenisse secundum carnem ?* et tum εὐρηκέναι idem valebit, quod εὐρηκέναι χάρις, Luc. i. 30. vel δικαιοσύνην, quæ vox jam præcesserat ; et tacita negatio suberit interrogationi ejusmodi ; *Minime vero.* Sic Grotius. Secundo, possunt ita legi hæc verba, ut τί conjungatur cum εὐρηκέναι, et ad ipsam quæstionem referatur ad hunc modum, *Quid igitur dicemus Abrahamum patrem nostrum invenisse (h. e. consecutum esse) secundum carnem ?* cui interrogationi responsio subintelligenda est ; *Nihil sane quicquam,* vel aliquid simile : Sed res hæc haud tanti est, ut de ea multum litigemus ; siquidem utrobique sensus idem maneat.

15. Majoris momenti est quæstio ista, Utrum verba κατὰ σάρκα conjungenda sint cum εὐρηκέναι vel cum τὸν πατέρα ? Origenes, Ambrosius, et Latini quidam codices vetusti, quos secutus est et Erasmus, κατὰ σάρκα referunt ad τὸν πατέρα : sed (meo quidem judicio) pessime. Nam, primo, lectio hæc (fatente Erasmo) fidei Græcorum exemplarium plerorumque (dicere, opinor, potuisset omniumⁱ) repugnat : deinde si hy-

ⁱ [Imo in multis et vetustioribus codicibus legitur εὐρηκέναι

perbaton in Græco sermone statuas, adhuc desiderabitur articulus; legendum enim esset, (ut notat ipse Erasmus,) τὸν πατέρα ἡμῶν τὸν κατὰ σάρκα^k: denique (quod sententiam istam maxime urget,) si hoc modo legatur textus, falsum suberit apostoli verbis; fingetur enim ita dixisse, *Quid igitur dicemus, Patrem nostrum secundum carnem Abrahamum a Deo consecutum fuisse?* Nihil sane: at hoc falsissimum est, nam multa et magna consecutus est Abrahamus; necesse est igitur, ut limitatio addatur, nempe κατὰ σάρκα: sed vide hic, quo studium partium viros alioquin doctos rapiat; Paræus enim, allegata interpretatione ista, hæc verba subjungit¹, “Quam facile am-
“ plector contra sophistas, ne cavillentur, justificatio-
“ nem detrahi operibus Abrahæ tantum iis, quæ fecit
“ secundum carnem, h. e. ante conversionem et sine
“ fide.” Sed quid est, si hoc non sit, sophistam agere? maneat ergo κατὰ σάρκα referendum esse ad εὐρηκέναι, non ad τὸν πατέρα, ac proinde interrogationem apostoli in negativam hæc propositionem esse resolvendam; *Pater noster Abrahamus nihil a Deo consecutus est, vel nullam cum Deo inivit gratiam, h. e. non fuit justificatus, secundum carnem.*

16. Illud unum restat inquirendum, quid per κατὰ σάρκα intelligat apostolus. Atque hic duplicem tantum interpretationem dari posse video; vel, primo, ut κατὰ σάρκα idem valeat, quod *per circumcisionem et*

^k Ἀβραὰμ τὸν πατέρα (vel potius προπάτορα) ἡμῶν κατὰ σάρκα; v. Griesbach.]

^k [At in 1 Cor. x. 18. legimus βλέπετε τὸν Ἰσραὴλ κατὰ σάρκα. et Eph. vi. 5. ὑπακούετε τοῖς κυρίοις κατὰ σάρκα, neque vero Erasmi verba accurate a Bullo citantur: ita enim ille, “Alioqui legendum “erat, τί οὖν ἐροῦμεν Ἀβραὰμ τὸν κατὰ σάρκα πατέρα εὐρηκέναι;”]

¹ In locum. [p. 263.]

opera externa et carnalia, quam interpretationem multi interpretes sequuntur: vel, secundo, ut *κατὰ σάρκα* significet *ex viribus naturæ sine gratia*; et sic propositionis negativæ hic erit sensus, Abraham non fuit justificatus apud Deum operibus ullis ex propriis viribus profectis, ac libero suo arbitrio citra gratiam divinam præstitis. Posteriorem interpretationem lubens amplector ob has rationes: primo, quia hæc sit usitatissima acceptio vocis *σὰρξ* in Novo Testamento, quæ frequenter Spiritui, gratiæ, revelationi divinæ opponitur; vide Matt. xvi. 17. Gal. i. 16: deinde, quia controversia de circumcisione nova quæstione ab apostolo diserte proponi videtur ver. 9; denique huic negativæ propositioni ita intellectæ optime quadrant argumenta, quibus ipsam in sequentibus confirmat apostolus: quod ut lectori pateat, age, ea breviter percurremus.

17. Primum ejus argumentum habemus ver. 2. *Εἰ γὰρ Ἀβραὰμ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη, ἔχει καύχημα, ἀλλ' οὐ πρὸς τὸν Θεόν.* Continent hæc verba rationem negationis præcedentis ab effectu negato; Si Abraham ex operibus sine gratia factis justificatus fuisset, habuisset aliquam apud Deum gloriandi materiam, quasi id ex se præstitisset, quod in Dei judicio præmium reportaret. Atqui certum est, Abrahamum, quæcumque laudem meruerit apud homines, nullam gloriationem habuisse apud Deum: non ergo operibus justificatus fuit Abraham; verba enim *πρὸς τὸν Θεόν* intelligenda sunt cum *ἔχει καύχημα* in majori; et vice versa verba *ἔχει καύχημα* repetenda sunt cum *οὐ πρὸς τὸν Θεόν* in minori: quippe argumentum est a remotione consequentis ad remotionem antecedentis. Haud me fugit, veterum nonnullos argumentum apostoli aliter formare, nempe, hoc modo; Si operibus, i. e.

factis externis, justificatus est Abraham, non habet gloriationem apud Deum; cum externa ejusmodi justitia, utut hominibus gloriosa appareat, Dei tamen conspectu sordescat; at gloriationem habuit Abrahamus apud Deum, i. e. ab ipso Deo fuit approbatus: ergo Abraham non est operibus justificatus. Miror, summos interpretes, Estium et Grotium, hanc Patrum expositionem secutos esse; etiamsi enim conclusio sit de mente apostoli, præmissæ tamen (ut recte Paræus) textui nullo modo quadrant. Major enim in textu est affirmans absque negatione, Si est operibus justificatus, ἔχει καύχημα· cum major propositio, quam ponunt Patres, negans sit. Minor contra, quam assumunt veteres, affirmans est, cum in textu sit negans; ἀλλ' οὐ πρὸς τὸν Θεόν. Qui dixerit, versiculum secundum totum ad majorem argumenti propositionem pertinere, næ is syllogismum apostoli mire ellipticum fecerit, utpote ex una tantum propositione constantem, nec minori, neque conclusione expressa. Præterea manifeste loquitur Paulus de eadem gloriatione, quam paulo ante iii. 27. per legem fidei omnino exclusam esse diserte affirmaverat; quamque adeo Abrahamo, quem per illam fidei legem justificatum fuisse ubique contendit, tribuere non potuit; nisi velimus, ipsum in eodem orationis contextu pugnantia scripsisse. Distinctio enim Toleti inter καύχημα, quam vocem hic usurpat Paulus, et καύχησις, qua supra usus erat, ut hæc jactantiam sive gloriationem propriam (ut loquitur) notet, illa vero idem, quod laus aut approbatio significet, perquam puerilis est, nulloque subnixa fundamento. Verum est quidem, quod dicit Grotius, esse aliquod καύχημα justum et licitum, etiam apud Deum, infra v. 2, 3, 11. 1 Cor. i. 31. et 2 Cor. x. 17; at

vero æque certum est, solitum esse apostolum, quoties de justificationis negotio, ut hic, agitur, omnem omnino gloriationem rejicere. Quid, quod secundum hanc interpretationem apostolus sibi ipsi in terminis contradiceret? fingeretur enim ita disputasse; Si Abrahamus ex operibus justificatus fuit, h. e. justus in Dei conspectu vel factus vel habitus, (utro enim sensu vocem *δικαιοῦσθαι* hic interpreteris, parum refert,) tum ab hominibus tantum laudem meruit, nullam vel laudem vel mercedem a Deo reportavit. Annon hoc perinde est, ac si dixisset apostolus, Si Abraham ex operibus justificatus fuit, non fuit justificatus? si dixeris, *justificari* hic accipi pro *justum censeari ab hominibus*, reclamationis totus apostoli contextus, in quo de justificatione hominis in conspectu ipsius Dei quæstionem agitari, clarius est quam ut probatione indigeat. Deinde sic etiam inepta erit in verbis apostoli *ταυτολογία* nempe talis; Si ex operibus Abraham approbatus fuit ab hominibus, tum ab hominibus tantum approbatus fuit, non coram Deo; hac autem ratiocinatione quid absurdius?

18. Obiter autem hic notandum, quod *ἐξ ἔργων* et *κατὰ σάρκα* idem apud apostolum significant, et fatentibus Beza et Piscatore, et regulis syllogisticis id necessario postulantis. Syllogismus enim apostoli, ut vidimus, est hujusmodi; Si Abraham ex operibus justificatus est, habet de quo gloriatur apud Deum; at Abraham nihil habet, de quo gloriatur apud Deum: ergo non est operibus justificatus. Conclusio hujus syllogismi plane eadem esse debet ac propositio, (cui probandæ argumentum allatum erat,) ver. I. posita, quæ fuit, *Abraham non est justificatus secundum carnem*. Idem est igitur *κατὰ σάρκα*, quod *ἐξ ἔργων* unde etiam efficitur, per opera apud Paulum non

intelligi opera ex gratia profecta; quippe quæ nullo sensu dici possint fieri, vel esse, κατὰ σάρκα.

19. Pergit argumentando apostolus, idque ex testimonio Scripturæ, ver. 3. *Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo, et illud imputatum est ei in justitiam.* Allatum est hoc testimonium ad probandum vel propositionem ver. 1. positam, nempe, Abrahamum non fuisse justificatum per opera e supote ingenio profecta, vel assumptionem præcedentis argumenti ver. 2. scilicet, Abrahamum nihil habuisse, de quo in justificationis negotio gloriaretur apud Deum. Et profecto utrique isti rei declarandæ pulchre inservit.

20. Referri potest ad probationem propositionis
87 ver. 1. positæ ad hunc modum; Si ex se et ante vocationem divinam bona ulla opera fecisset Abrahamus, quibus justificationem adeptus sit, Scriptura certe eorum operum mentionem fecisset, iisque justificationem ejus tribuisset. Atqui illud non facit Scriptura, sed contra justitiam ei imputatam fuisse ostendit non nisi per ac post fidem ejus, promissis divinis, ex mera gratia prius ipsi factis, habitam; ex qua proinde fide, quicquid unquam eximii fecerit Abrahamus, profectum est: non igitur justitiam adeptus est κατὰ σάρκα, i. e. ex operibus ullis ante et citra fidem factis. Vel sic; Testimonium justitiæ, Abrahamo in Scripturis datum, fidei ejus atque inde natæ obedientiæ diserte tribuitur: nullam igitur vel laudem vel justitiæ mercedem consecutus est Abrahamus κατὰ σάρκα, ex operibus ante et citra fidem factis. Apprime enim hic notandum, apostolum fidem Abrahami opponere operibus ejus non quibuscunque, etiam ex fide profectis, (illa enim in fide ejus censentur, ut fructus in semine,) sed iis tantum

operibus, quæ præstitit κατὰ σάρκα, ver. 1. h. e. suis viribus, ante gratiam divinam ipsi factam.

21. Sed hoc Scripturæ testimonium referri etiam potest ad probationem assumptionis ver. 2. positæ; nempe, Abrahamum nihil habuisse, de quo in justificationis negotio apud Deum gloriaretur. Imo huc imprimis referendum esse liquet non modo ex causativa particula γάρ, quæ innuit versiculum hunc prioris αἰτιολογίαν continere; verum etiam ex sequente sermone, ver. 4, 5. ubi ex citato testimonio aperte colligit apostolus, mercedem Abrahamo imputatam fuisse non ex debito, uti operantibus tribui solet, sed ex mera gratia; ac proinde nihil habuisse Abrahamum, de quo in justificationis negotio gloriaretur apud Deum.

22. At qua ratione, inquires, id colligit apostolus ex allegatis Scripturæ verbis? Resp. Nonnulli putant vim argumenti sitam esse in significatione vocis ἐλογίσθη, quasi λογίζεσθαι apostolo idem esset ac λογίζεσθαι κατὰ χάριν, et significaret gratiosam acceptationem; retributionem ex justitia, vel nunquam, vel non nisi improprie; unde Erasmus verbum λογίζεται, ver. 6. interpretatur *acceptum fert*, subjungens, “Est autem *acceptum ferre*, pro accepto habere quod non acceperis; quæ apud jureconsultos, ni fallor, vocatur *acceptilatio*.” Atque hanc Erasmi interpretationem sequuntur multi interpretes doctissimi, apostoli argumentum ita formantes; Si Abrahamo merces ex debito retributa esset, non diceret Scriptura, Deum ipsi *imputasse justitiam* (siquidem *imputatio* notat donationem gratuitam): at dicit Scriptura, Deum Abrahamo *imputasse justitiam*; ergo, &c. Sed hæc interpretatio mihi non placet; cum ex Scripturis liqueat, verbum רשן, cui respondet

λογίζομαι, usurpari etiam de imputatione alicujus rei in peccatum, sive in pœnam peccati, 2 Sam. xix. 19. quam imputationem ex justitia fieri nemo negarit. Quin et eadem vox frequenter in Scripturis significat veram et justam de re aliqua æstimationem sive judicium, ut Deut. ii. 11. 20. Quid, quod Paulus ipse, idque hoc ipso in loco, vocem hanc usurpat de retributione ex debito ver. 4. ibi enim verbum λογίζεται, ἀπὸ κοινοῦ repetendum esse cum κατὰ τὸ ὀφείλημα, nimis manifestum est. Censeo itaque collectionem apostoli, qua infert ex textu citato justificationem Abrahami fuisse mere gratuitam, haud niti nuda significatione vocis ἐλογίσθη, sed partim natura rei, quæ Abrahamo in justitiam imputari dicitur; partim priori statu et qualitate personæ, cui imputata erat.

23. Res, quæ Abrahamo in justitiam imputari dicitur, erat fides, indeque nata obedientia. Fidei autem obedientia, ut aliquoties diximus, ipsa sui notionem meritum omnino omne excludit. Supponit enim gratiosam Dei revelationem credenti prius factam, atque adeo promissa talia, quæ sua excellentia credentem fortiter extimulent ad obedientiam illam Deo præstandam, sub cujus conditione bona promissa acquirenda sunt, quæque universum istum laborem, (quantus, quantus sit,) qui ex eorum fide suscipitur, non tantum exæquent, sed et longissime superent. Ita plane se res habuit in exemplo Abrahami; credidit quidem ille Deo, sed prius se Deus ipsi gratiose ac modo plane extraordinario revelaverat Act. vii. 2, 3. Jussui divino paruit ad longum, molestum, periculosum iter vocanti; atqui alas itineri addidit Deus ipse, bona tam ingentia promittens, quæ sua spe vel decrepitem senem juvenili robore perfunderent, atque ad molestiam quantam-

cunque alacriter ferendam animarent. Quicquid igitur Abrahamus laude dignum effecit, id totum gratiosæ revelationi, ac liberalissimis promissis, ipsi a Deo ex mera sua misericordia factis, acceptum referri debet. Nulla igitur Abrahamo gloriandi materia, nullum meritum. Huc respexisse videtur apostolus ver. 5. ubi, cum id, quod ver. 4. de operante negatum erat, ipsi scilicet mercedem imputatam esse κατὰ χάριν, repetendum erat in sequenti oppositione, ac de credente affirmandum hoc modo; *At credenti merces imputatur secundum gratiam*; plane aliter facit Paulus; *Credenti*, inquit, *fides ejus imputatur in justitiam*: quasi diceret, Eo ipso, quod fides ejus 88 imputatur in justitiam, justificatio ejus est mere gratuita; cum fides per se gratiam sonet, et meritum excludat.

24. Hic autem (sed ὡς ἐν παρόδῳ) aliquantisper in hærendum verbis apostoli ver. 4. *Ei, qui operatur, merces non imputatur ex gratia, sed ex debito*. Qui locus, ut clarius intelligatur, duo inquirenda sunt; primo, quid significet vox ἐργαζόμενος; dein, quid sibi voluerit apostolus, cum τῷ ἐργαζομένῳ mercedem κατ' ὀφείλημα reddi affirmet? Ad prius illud quod attinet, ὁ ἐργαζόμενος eum indigitat, qui operatur ex se suisque viribus, nullis gratiæ divinæ auxiliis adjutus; nam is mihi videtur proprie dici ὁ ἐργαζόμενος· qui enim per gratiam Dei operatur, non tam is operatur, quam gratia Dei in ipso, I Cor. xv. 10. Gal. ii. 20; et hunc sensum firmat loci contextus. Præterquam enim quod apostolus (uti vidimus) disputationem ex professo instituit de operibus Abrahami, quæ præstitit κατὰ σάρκα, initio capitis; illud quoque adprime observandum, quod ὁ ἐργαζόμενος hic directe opponatur τῷ πιστεύοντι, h. e. ei qui operatur

ex fide divinorum promissorum, atque adeo cujus opera gratiæ divinæ, quæ ipsum maximis et liberalissimis promissis ad operandum excitavit, (addita magna Spiritus efficacia, quæ etiam non nisi post ac per fidem accipitur,) deputanda sint. Jam secundo in loco, ad verba illa *κατὰ τὸ ὀφείλημα* quod spectat, ut ea stricte ac rigide accipiantur, nulla ratio patitur. Nemini enim, licet perfectissime operanti, idque ex meræ naturæ viribus, merces vitæ æternæ proprie deberi dici potuisset. Ne ipsi quidem primo homini, si perstitisset in sua innocentia, neque ullo unquam peccato foedus divinum violasset, id potuisset tribui. Verbo dicam, nulli creaturæ, licet excellentissima ea sit, excellentissimoque modo operetur, illud competat, ut vitæ æternæ præmium ei ex stricto jure debeat. Præterquam enim quod bonum æternæ vitæ sit absolutissimum, immensum, infinitum, atque adeo omnia omnium creaturarum opera infinitis gradibus transcendens; illud etiam apostoli *ἐρώτημα* tale est, ut ei a nemine responderi possit; *τίς προέδωκεν αὐτῷ, καὶ ἀνταποδοθήσεται αὐτῷ;* Rom. xi. 35.

Certo igitur certius est, hæc apostoli verba, *operanti autem merces non imputatur ex gratia, sed ex debito*, non absolute ac simpliciter intelligenda esse, sed comparate; ut significet apostolus, mercedem ei, qui eo, quem diximus, modo operatur, non ex tam mera ac pura puta Dei gratia tribui, quam si credenti, h. e. ex fide operanti, detur. Sensus itaque verborum apostoli hic est, Ei quidem, qui operatur, h. e. nativis viribus sine Dei gratia Deo obtemperat, ac justitiam præstat, si merces a Deo vitæ æternæ retribuatur, videretur ea quasi ex debito dari, et superesset tali operanti saltem aliqua gloriandi spe-

cies : at cum imputatur merces ei, qui non operatur, sed credit, i. e. qui nihil ex se operatur, sed ex fide, et post fidem Deo se gratiose revelanti habitam, illustris hic apparet gratia divina, ἐξεκλείσθη ἡ καύχησις, *exclusa est gloriatio*, Rom. iii. 27. meritum omne humanum foras ejicitur. Imo conspicitur hic χάρις ἀντὶ χάριτος, *duplicata Dei gratia* : primo, quod hanc fidei obedientiam gratia sua, omne ejus meritum antevertente, in homine efficiat ; dein, quod eandem obedientiam, quam ipse in homine effecerit, in justitiam ei imputet, præmioque immenso afficiat, haud aliter, quam si ex se illam præstitisset.

25. Considerat etiam apostolus in hac sua argumentatione statum priorem et conditionem personæ, nempe Abrahami, cui fides hæc in justitiam imputata erat. Erat is ἀσεβῆς, *impius*, et gravibus peccatis implicatus, ideoque signanter dicit Paulus, Abrahamum credidisse ἐπὶ τὸν δικαιοῦντα τὸν ἀσεβῆ, *in eum, qui justificat impium* ; eo innuens, tantum abfuisse, ut Abrahamus ante vocationem divinam bonis ullis operibus Deum promeruerit, ut e contra maximorum peccatorum reus fuerit ; adeoque miram fuisse Dei misericordiam, tum quod tanto peccatori seipsum singulari plane ratione revelaverit, ipsumque vocarit ad sui cultum ; tum quod ipsum revelanti credentem, vocanti obsequentem, non tantum peccatorum istorum venia beaverit, sed et maximis insuper præmiis affecerit. At quænam, inquires, fuit ista Abrahami ante vocationem suam impietas ? Respondeo : Idololatria impietatum maxima, ut aperte testatur ipsa Scriptura Josh. xxiv. 2, 3, &c. Neque enim audiendi sunt, qui magno conatu loco isti alium sensum affingere, atque Abrahamum ab hoc turpissimo scelere vindicare, nescio quibus argutiis,

student. Verba textus satis manifesta sunt; dicit enim Deus numero multitudinis, *Patres Ebræorum serviisse diis alienis*; exprimit autem quos intelligat, *Thare patrem Abrahami, et patrem Nachoris*, ita ut tres illos, patrem cum liberis, in eadem categoria ponat. Postquam etiam dixisset, *Servierunt diis alienis*, addit; *Et assumpsit patrem vestrum Abrahamum* ver. 3. evidenter indicans, in beneficiis erga Israelitas hoc commemorari, quod, cum majores eorum, nempe uterque Israelis avus paternus et maternus, Abraham et Nachor, cum
89 patre suo in Chaldæa degentes, alios deos colerent, Deus Abrahamum ex mera sua misericordia, nullo ejus merito, assumpsit, eique hæreditatem et hæredem dedit: ut locus hic claram argumento apostoli lucem afferat.

26. Videtur etiam his verbis Paulus tacito quidem at fortissimo argumento perstringere Judæorum arrogantiam, qui ἐξ ἑθνῶν ἀμαρτωλοῦς, peccatores et idololatrias gentiles, Gal. ii. 15. licet ad verum Deum in Christo per fidem, pœnitentiam, novæque vitæ susceptionem conversos, aversarentur; et nisi vel longa et jugi operatione probatos, vel saltem circumcissione et sacrificiis purgatos, ad justificationis gratiam nequaquam admitterent. Ostendit enim his verbis apostolus, Abrahamum patrem ipsorum (atque in eo quidem ipsos) eodem plane modo ex idololatria et Deorum falsorum cultu vocatum fuisse, et statim post fidem promissis Dei habitam, atque obedientiam vocationi divinæ præstitam, (etiam non adhuc suscepta circumcissione, ut mox ostenditur,) Deo fuisse gratum acceptumque. Quis non hic miretur divinum apostoli ingenium! interim ad omnes justificatos hoc pertinet, cum nemo sit, qui gravium peccatorum

ante acceptam gratiam non sit reus, quique proinde venia et remissione divina non indigeat. Quod optime probat apostolus testimonio ex Davide allato ver. 6, 7, 8. deinde ad controversiam de circumcisione transit ver. 9.

27. In hoc Abrahami exemplo diutius forsitan immorati sumus, quam proposita objectio postularet; at non temere aut inconsulto id fecimus. Cum enim Abrahamus hic a Paulo consideretur, ut Pater fidelium, ac magnum illud justificatorum omnium exemplar ver. 11, 12. fieri non potest, quin probe intellecto apostoli sermone de ipsius justificatione, lux inde magna disputationi huic de justificatione universæ accrescat. Accedit, quod hinc clare eluceat concordia inter Jacobum et Paulum, cum ex eodem Abrahami exemplo hic hominem justificari sine operibus, ille justificari hominem ex operibus concludat. Nempe considerat Abrahamum Paulus *κατὰ σάρκα*, qualis erat ante vocationem; Jacobus vero ut gratia et vocatione divina jam donatum. Justificationem ejus operibus ante fidem factis ille detrahit; tribuit hic operibus ex fide profectis: nulla hic inter apostolos contradictio: quod fuse explicat Augustinus^k. Claudam hunc de Abrahamo sermonem insigni testimonio S. Clementis Romani, Pauli *συνεργού* et *συχρόνου*, adeoque sensum apostoli optime edocti, qui, in genuina ad Corinthios Epistola, ad omnes justificatos, quod hic de Abrahamo dicit apostolus, accommodans sic loquitur^l: *Καὶ ἡμεῖς οὖν διὰ θελήματος αὐτοῦ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ κληθέντες, οὐ δι' ἑαυτῶν δικαιούμεθα, οὐδὲ διὰ τῆς ἡμετέρας σοφίας, ἢ συνέσεως, ἢ εὐσεβείας, ἢ ἔργων ὧν κατειργασάμεθα ἐν ὁσιότητι καρδίας, ἀλλὰ διὰ τῆς*

^k Tom. IV. lib. 83. Quæstionum, quæst. 76. [vol. VI. p. 67.]

^l [c. 32. p. 166.]

πίστεως, δι' ἧς πάντας τοὺς ἀπ' αἰῶνος ὁ παντοκράτωρ Θεὸς ἐδικαίωσε. Nimirum, cum Paulus Abrahamum ejusque filios fide sola sine operibus justificari contendit, ejusmodi tantum opera (si Clementi interpreti credimus) excludit, quæ ex propria hominis sapientia, intelligentia, pietate, sanctitate, h. e. ex libero ejus arbitrio, gratia Christi destituto, profluunt. Ac sane opera, quæ ex fide gratiaque proficiscuntur, a justificatione non excludi per Christi evangelium, non uno in loco nos docet vir idem apostolicus. Nam paulo superius de eodem Abrahamo locutus hæc habet ^m; Τίνος χάριν εὐλογήθη ὁ πατὴρ ἡμῶν Ἀβραάμ; οὐχὶ δικαιοσύνην καὶ ἀλήθειαν διὰ πίστεως ποιήσας; i. e. “Cujus “ gratia Abraham pater noster benedictus fuit? nonne “ quia justitiam et veritatem per fidem operatus est?” Quin et alibi remissionem peccatorum, h. e. justificationem, non nisi ex præceptorum Dei per charitatem impletionem obtineri, disertis verbis ostendit ⁿ; Μακάριοι ἐσμεν, ἀγαπητοὶ, εἰ προστάγματα τοῦ Θεοῦ ἐποιούμεεν ἐν ὁμονοίᾳ ἀγάπης, εἰς τὸ ἀφεθῆναι ἡμῖν δι' ἀγάπης τὰς ἀμαρτίας ἡμῶν. γέγραπται γάρ· Μακάριοι ὧν ἀφέθησαν αἱ ἀνομίαι, καὶ ὧν ἐπεκαλύφθησαν αἱ ἀμαρτίαι· μακάριος ἀνὴρ ᾧ οὐ μὴ λογίσηται κύριος ἀμαρτίαν, οὐδέ ἐστιν ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ δόλος· i. e. “ Beati sumus, dilecti, “ si præcepta Domini in charitatis concordia imple- “ verimus, ut per charitatem peccata nostra nobis “ remittantur. Scriptum enim est ^o: *Beati, quorum “ remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt pec- “ cata: Beatus vir, cui non imputabit Dominus pecca- “ tum, neque est in ore ejus dolus.*” Ubi etiam apprime observandum est, S. Clementem colligere, veram charitatem ejusdemque opera ad remissionem peccatorum,

^m Pag. 40. [c. 31. p. 165.]

ⁿ Pag. 65. [c. 50. p. 176.]

^o Psal. xxxii. 1, 2.

h. e. ad justificationem, necessario requiri, ex iisdem Davidis verbis, quibus B. Paulus justificationem ex fide sola voluit adstruere. Neque temere hic ratiocinatus est vir apostolicus; cum verba Davidis liquido ostendant, nemini beatitudinem remissionis peccatorum contingere, qui non sit ab omni fuce doloque immunis, h. e. vera atque infucata charitate erga Deum proximumque suum inflammatus^p.

28. Arg. 3. Restat ultimum Paræi argumentum, 90 quo probare nititur, etiam opera vere bona atque ex fide profecta a justificatione excludi. “Si,” inquit, “bona opera nulla fiunt nisi a justificatis, (sequuntur enim justificatos, non præcedunt justificandos, ait Augustinus,) falsum igitur, quod ipsaificent coram Deo; justificarent enim jam justificatos.” Resp. De Augustini effato superius^a diximus, quantum sufficere putamus. Ad hypothesin vero hujus argumenti quod attinet, nempe, nullum opus vere bonum præcedere posse justificationem; ea est et falsissima, et periculosissima. Ea enim concessa, sequeretur 1^o. Deum justificare homines impios adhuc manentes, in peccato hærentes, ab omni sanctitate alienos; quod ab horrenda blasphemia prope abest, et multis Scripturæ locis diserte repugnat: vid. Exod. xxxiv. 7. 1 Reg. viii. 32. Prov. xvii. 15. Psal. v. 4, 5. et xi. 4, 5, 7. Esai. xlvi. 22. et lvii. 21.— Sequeretur 2^o. ne ex fide quidem hominem justificari posse; fides enim est bonum opus. Si itaque nullum opus vere bonum præcedat justificationem, neque fides præcedit, ac proinde fide justificari dici non possumus;

^p Paulo ante quoque hæc habet verba, Ἀγάπη κολλᾷ ἡμᾶς τῷ Θεῷ, ἀγάπη καλύπτει πλῆθος ἁμαρτιῶν. [c. 49.] GRABE.

^a Cap. III. hujus Dissertationis §. 2. [p. 89.] ubi etiam vide Annot. GRABE.

justificaret enim jam justificatos. Nec juvabit hic Paræum usitatum istud σοφὸν φάρμακον, sc. fidem justificare non quatenus est opus bonum, sed ut instrumentum apprehendendi Christum. Non enim illud hic quæritur, an fides, quatenus est opus bonum, justificet; sed an fides sit bonum opus, et an præcedat justificationem: quod utrumque apud sanos omnes, ni fallor, in confesso est. Si autem fides sit opus bonum, et justificationem præcedat, sequetur, falsum esse, nullum opus vere bonum præcedere posse justificationem. Sequeretur denique 3^o. opera pœnitentiæ non esse opera vere bona, cum ea præcedere justificationem sive remissionem peccatorum, et Scripturæ (ut superius ostendimus^r) aperte testentur, et protestantes omnes saniores libenter agnoscant. Res est, nulla opera vere bona præcedere posse gratiam Dei, cum sine gratia illa ne præstari quidem possint. At possunt opera bona præcedere justificationem, imo et revera præcedunt; quippe datur gratia ante justificationem, ut præstentur ea, quibus ad justificationem perveniatur.

29. Est et altera in hoc Paræi argumento hypothesis perinde falsa ac prior, nempe, jam justificatos non posse amplius justificari; quippe certum est, (quod etiam ante^s ostendimus,) justificationem esse actum continuum, neque ante obitum perfectum ac consummatum. Etiam si igitur per pauciora illa et minora pœnitentiæ opera ad primam justificationis gratiam pervenimus; tamen si tempus adhuc bene operandi conceditur, omnino necessaria sunt opera gratiæ subsequenti ad acceptam justificationem conservandam, atque ad finem usque perducendam.

^r Dissert. Prior. II. 6, et 7. [p. 21.] GRABE.

^s Cap. I. hujus Dissertat. §. 5. [p. 73.] GRABE.

Gratia enim Dei in Christo per fidem ac pœnitentiam adeptâ, continuo insuper bene operandi cursu non custodita amittitur. Diserta sunt ac ferme innumera Scripturæ loca, quæ id docent: inter alia consule Matt. xviii. 32—35. Joan. xv. 3—7, 9, 10. Rom. xi. 19—22. Gal. iii. 3, 4. Heb. iii. 14. et x. 23, 24, 26, 35, 36. 2 Joan. 8.

ANNOTATA J. E. GRABE

91

AD CAP. XII.

AD SECT. 3. SEQQ.

1. Aliquot argumenta, ex ipsius S. Pauli Epistolis deprompta, attulit vir reverendus, probaturus ea quæ apostolus a justificatione excludit *ἔργα*, non esse opera quæ homo præstat excitatus gratia divina, eum a peccatis ad justitiam convertente, atque interius renovante, sed opera ductu legis, sive naturæ sive Mosis, ex solis humani arbitrii viribus profecta, eaque externa, in quibus justitia non modo gentilium, sed et inter Judæos scribarum atque Pharisæorum consistebat. Atqui cum hoc præcipuum omnis de justificatione controversiæ sit caput, unam atque alteram pro hac thesi rationem ex ipso iv. capite Epistolæ ad Romanos petitam addere libet. Nimirum istis operibus hominem justificari negat Paulus, quorum ne quidem præsentia in eo, qui justificatur, est necessaria: id quod innuit apostolus Rom. iii. 21. et 28. istis formulis, *χωρὶς νόμου*, et *χωρὶς ἔργων νόμου* clarius autem docet iv. 5. ubi ait, *Τῷ δὲ μὴ ἐργαζομένῳ κ. λ.* *Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam.* Atqui pœnitentiam agere, ac opera ei congrua, DEO adjuvante, facere, necessario a peccatore justificando requiritur, ut ipsi solius fidei justificantis patroni confitentur. Non igitur talis pœnitentia, quique ex ea procedunt boni actus, sunt ista, contra quæ Paulus disputavit, opera. Si vero quis nihilominus pertinaciter contendere velit, apo-

stolum sub ἐργαζομένῳ etiam ex gratia DEI operantem complecti, is tali syllogismo ad absurdum deducendus est :

Ei qui non operatur, fides reputatur ad justitiam ;

Qui, DEO ad pœnitentiam invitante, eam tamen non agit, est is qui non operatur ;

Ergo ei qui, DEO ad pœnitentiam vocante, eam tamen non agit, fides reputatur ad justitiam.

Quæ conclusio cum sit absurdissima, minor propositio quoque talis existat necesse est, siquidem major est ipsissima apostoli enuntiatio.

2. Porro ad supradictam thesin nostram confirmandam ex Psalmo xxxii. quem apostolus contra justificationem per opera allegavit, tale deduco argumentum :

Opera quæ a justificatione exclusit apostolus, Psalmo xxxii. ad beatitudinem hominis et remissionem peccatorum haud requiruntur, aut ibidem memorantur ;

Atqui integritas cordis et confessio peccatorum Psalmo xxxii. ad beatitudinem hominis et remissionem peccatorum requiruntur, ac expresse ibi memorantur ;

Ergo integritas cordis et confessio peccatorum non sunt ea opera, quæ a justificatione exclusit apostolus.

Major propositio ex ipsa apostoli argumentatione deducitur ; minoris veritas ex citati Psalmi contextu patet ; siquidem ver. 2. post ista quæ Paulus allegavit verba : *Beatus, cui non imputaverit Dominus peccatum*, immediate sequitur, *Et in spiritu ejus non est dolus*. Deinde ver. 3. et 5. *Quoniam tacui, inceteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die.—Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi. Dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam Domino ; et tu remisisti impietatem peccati mei.*

3. Si ulterius in capite iv. Epist. ad Romanos progrediamur, hæc ver. 13. nobis occurrunt verba : *Non enim per legem promissio Abrahamæ aut semini ejus, ut esset hæres mundi ; sed per justitiam fidei*. Ex quibus liquet, apostolum Mosaicæ quidem legis opera a justificatione remove, utpote quibus nulla talis promissio annexa est, qualis Abrahamo facta fuit ; supponere autem ntique quod nos

justificemur per istam justitiam, per quam Abrahæ et semini ejus promissio hæreditatis mundi obtigit. Atqui hanc esse justitiam operum ex fide et gratia DEI profectorum, ex duobus Geneseos locis constat: ita enim xviii. 17, 18, 19. DEUS loquitur; *Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum, cum futurus sit in gentem magnam et robustissimam, et benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ? Scio enim, quod præcepturus sit filiis suis et domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, et faciant judicium et justitiam, ut adducat Dominus super Abraham omnia, quæ locutus est ad eum.* Magis insignia adhuc sunt DEI ad Abrahamum post oblationem Isaaci verba, Gen. xxii. 16, 17, 18. *Per memetipsum juravi, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli, et velut arenam, quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Atqui hunc inter alios locum respexisse Paulum, dum promissionem Abrahæ et semini ejus factam memorat, patet ex Heb. vi. 13, 14, 15. *Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem juraret majorem, juravit per semetipsum, dicens, Nisi benedicens benedicam te, et multiplicans multiplicabo te. Et sic patienter expectans, adeptus est repromissionem.* Promissio itaque facta est Abrahæ, quia fecit hanc rem, et non pepercit filio suo, et quia obedivit voci Dei; ut adeo ex factis sive operibus justificatum fuisse Abrahamum, dum Isaacum immolare voluit, merito ex illo ipso loco docuerit Jacobus. Confer Annotata ad hujus Dissertat. cap. i.

4. Denique illa etiam, quæ apostolus iv. 2. ad Romanos de Abrahamo habet verba, aliud adhuc pro thesi nostra argumentum suppeditant: *Si enim, inquit, Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam. sed non apud Deum.* Quæ a quibusdam viris doctis, et ab ipso doctissimo auctore nostro, sect. 17. hujus capituli, diversimode quidem explicata, mihi plane videntur responsionem continere

ad quæstionem ver. 1. propositam: *Quid ergo dicemus Abraham patrem nostrum invenisse secundum carnem?* atque id velle, quod Abraham per circumcisionem carnis, aliaque ejusmodi opera externa, justitiæ laudem reportaverit, non tamen coram DEO, sed coram hominibus. At vero de internis a divina gratia elicitis actibus, deque circumcisione cordis tale quid dici nequit; siquidem de eo, qui hac præditus est, homine apostolus præcedenti cap. ii. ver. ult. contrarium plane pronunciat: *Cujus, inquit, laus non est ex hominibus, sed ex DEO.* Plura ex aliis Pauli et S. Scripturæ locis argumenta haud profero, quod hæc rem satis clare demonstrent iis, qui perverso judicio aut præjudicio non sunt præpediti: qui vero alterutro laborant, iis convincendis nec centum forte suffecerint rationes.



Consectarium alterum ex argumento apostoli ab infirmitate legis elicatum, nempe, tantum abesse, ut a Paulo necessitas bonorum operum ad justificationem tollatur, ut e contra scopus ipsius sit ostendere, veram operum justitiam esse omnino ad justificationem necessariam; atque evangelium esse unicum illud efficax instrumentum, quo ad justitiam illam adduci quis possit. Loca quaedam eo spectantia notantur. Primarium inter legem et evangelium discrimen ostenditur.

1. RESTAT, ut alterum illud superius indicatum breviter etiam explicemus; nempe, quantum ex hoc apostoli argumento roboris doctrinæ Jacobi de justificatione ex operibus accrescat. Res certe in aperto est, nec longa aut operosa probatione indiget.

2. Nimirum tantum abest, ut a Paulo necessitas bonorum operum ad justificationem consequendam tollatur, ut e contra scopus ipsius sit duo hæc ostendere: 1º. Veram operum justitiam esse omnino ad justificationem necessariam. Quippe cum hoc impri-

mis argumento pugnet apostolus contra justificationem ex lege, quod ea per se impar sit hominibus ad veram operum justitiam adducendis, manifeste supponit (ut cum schola loquar) sine tali justitia neminem ad justificationem pervenire posse. Nisi enim illud supponatur, argumentum ejus omnino invalidum esse cuivis mediocriter rem attendenti liquebit. 2º. Evangelium esse unicum illud efficax instrumentum, quo ad justitiam illam pervenire quis possit; quod enim legi detrahit apostolus, concedit evangelio. Infirmata erat lex Mosis, nec poterat hominem justificare, quia iis ipsum auxiliis destitutum reliquit, quibus pietatem illam assequeretur, sine qua Deo sanctissimo ad salutem placere sit prorsus impossibile. E contra lex Christi potentissima est, ac miseris peccatoribus ad justificationem perducendis abunde sufficiens: quippe quæ omnia ad eandem illam pietatem in ipsis efficiendam necessaria affatim suppeditet, tum vitæ æternæ lucem apertissime revelando, atque adeo ipsius fidem apertissimis documentis faciendo; tum imprimis gratiam Spiritus S. non tantum necessariam, sed et copiosam atque abundantem largiendo.

3. Est hic evidentissimus hujus argumenti scopus, ut in eo explicando multis testimoniis evicimus; quibus et hæc addas. Cum cap. viii. ad Roman. ver. 1. dixisset apostolus, *Nullam esse condemnationem iis, qui in Christo Jesu sunt*, h. e. qui evangelio credunt, plene ac perfecte esse justificados; hanc subjungit rationem, ver. 2. *Lex enim Spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis*, h. e. Spiritus ille Christi vivificus, qui evangelium comitatur, liberavit me primum a peccandi consuetudine, dein a morte æterna, quæ consuetudinem illam

necessario sequitur: manifeste ostendens, ideo per solum evangelium liberari nos a reatu peccati, h. e. justificari, quia ex illo solo promanet gratia illa efficacissima, qua a peccati dominio liberati piæ sanctæque vitæ asseramur. Quæ enim hic commentatur Paræus, meræ sunt nebulæ, quibus veritatem ipso sole clariorem obfuscare nititur. Quid enim? legem peccati exponit de lege Mosis. At legem Dei appellari ab apostolo legem peccati, plusquam dura esset locutio. Quid, quod hæc interpretatio verbis apostoli, ver. 22, 23, 25. præcedentis capitis manifeste repugnat? ibi enim lex peccati legi Dei directe opponitur, ac de vi illa dominatrice peccati in carne membrisque residente, ac legi Dei repugnante, exponitur. Hoc ipsum quoque clarius adhuc liquet ex ver. 3, et 4. hujus octavi capitis; ubi ostendit apostolus, illud, quod legi ἀδύνατον erat, Christum præstitisse; nempe, ut peccatum in carne interficeretur, et δικαίωμα justitia legis impleretur in nobis, non secundum carnem, sed secundum Spiritum ambulantes. Audi hic iterum Paræum, ita hæc verba exponentem, “ Ut maledictioni legis maledicta morte
 94 “ crucis Christi satisfaceret, et ea satisfactio nobis imputaretur, non secus atque in nobis impleta fuisset.” Quid hac interpretatione audacius? Nam, primo, exponit Paræus δικαίωμα legis per maledictionem ejus, quod de justitia in lege præscripta intelligi debere, et res ipsa loquitur, et ex hujus Epistolæ cap. ii. 26. clare liquet; deinde interpretatur locum de justitia quadam quæ extra nos sit, nobisque tantum imputata; cum apostolus diserte dicat, hanc legis justitiam impleri ἐν ἡμῖν, in nobis; denique apostolum audire recusat se liquido explicantem, quomodo hæc legis justitia in nobis

impleatur, in hoc sc. *quod non secundum carnem, sed secundum Spiritum ambulemus.*

4. His locis convenienter merito interpretati sunt antiquorum nonnulli locum illum Rom. iii. ult. ubi apostolus objectionem contra suam de justificatione doctrinam proponit diluitque his verbis; *Νόμον οὐν καταργοῦμεν διὰ τῆς πίστεως; μὴ γένοιτο, ἀλλὰ νόμον ἰστώμεν.* Nempe, (ut notant Chrysostomus et Augustinus,) fides dicitur *stabilire legem*, quia gratiam impetrat, qua lex impleatur. Quippe legis firmitas, impletio, consummatio potissimum in observatione præceptorum ejus sita est. Et revera lex, gratia evangelii destituta, suo loco, suo honore stare non poterat; quin ab hominibus carnis affectibus mancipatis contempta et quasi conculcata jacuit: addita autem hac gratia, sedem et veluti solium recuperavit, ac jus suum finemque primarium, nempe, ad obedientiam ipsi præstandam homines adducendi, obtinuit.

5. Plura loca his adstipulantia haud difficile esset proferre, nisi in re jam fusius probata id supervacaneum esset. Illud tantum coronidis loco adjiciam, liquere hinc, quodnam sit inter legem per se spectatam atque evangelium præcipuum discrimen; hoc scilicet, quod evangelium largiatur gratiam, justitiæ illi præstandæ necessariam, quam lex tantummodo ostendit. In hoc potissimum eximia illa evangelii supra legem *ἐξοχή* ac præstantia ab apostolo manifeste statuitur. Hinc summa illa, quibus evangelium exornat, elogia, quod sit *διακονία πνεύματος, νόμος πνεύματος ζωῆς, δύναμις Θεοῦ, δύναμις Θεοῦ εἰς σωτηρίαν, &c.*^c hæc utinam serio expendissent reformatorum theologorum plerique, qui de discrimine legis et evangelii

^c Vide Heb. viii. 10, 11.

multa scripserunt, “ quique” (ut salse Grotius^d) “ in
 “ hac de justificatione controversia triumphant, quasi
 “ incognitam plurimis sæculis lucem nobis de cœlo
 “ detulissent.”

*Loca quædam, in quibus apostolus legem imprimis ritua-
 lem oppugnat, indicantur. Externum et ritualem legis
 cultum a justificatione ita rejicit, ut in ejus locum in-
 ternam ac spiritualem evangelii justitiam substituat.
 Argumentum inde contra Solifidianos invictum.*

1. DE argumentis apostoli ad totam Mosis legem
 (ne excepta quidem ea parte, quæ præcepta continet
 moralia) spectantibus fuse egimus. Quod proximo
 in loco considerandum venit, de legibus atque insti-
 tutis fœderis Mosaici ceremonialibus, pauculis expe-
 diemus.

2. Controversia de circumcissione et ritibus Mo-
 saicis famosa, atque apostoli ævo nimis agitata, ex
 professo proponitur Ep. ad Rom. iv. Ubi postquam
 in superioribus beatitudinem hominis in remissione
 peccatorum consistere, testimonio ex Davide allato
 probaverat Paulus, mox ver. 9. statum quæstionis
 disceptandæ format his verbis; *Ista igitur beati-
 tudo, in circumcissionem solummodo, an et in præ-
 putium cadit?* q. d. Num igitur circumcisio et cæ-
 teri ritus Mosaici ad justificationem plane necessarij
 sunt, an sine iis justificatio obtineri potest? Ritus
 istos nequaquam esse necessarios, luculenter ostendit
 in sequentibus. In hunc etiam scopum manifeste
 collimat tota fere ad Galatas Epistola, in qua con-
 clusio, quam in se probandam suscipit apostolus,

^d Vot. pro pac. ad Art. IV. p. 21. [Vol. III. p. 656.]

clarissimis hisce verbis exponitur cap. v. 6. *In Christo Jesu neque circumcisio quicquam valet, neque præputium, sed fides per charitatem perfecta.* Atque iterum, paucis mutatis, vi. 15. *In Christo Jesu neque circumcisio quicquam valet, neque præputium, sed nova creatura.*

3. Argumenta, quibus hanc thesin confirmat apostolus, non necesse est ut explicemus, cum de operibus legis ritualis, an et quatenus a justificatione excludantur, nulla jam inter Christianos lis et controversia.

4.. Unicum illud (utpote ad propositum nostrum quam maxime spectans) observandum duxi; viz. apostolum opera legis ritualia et externa ita a justificatione excludere, ut his opponat internam animi puritatem, atque ea opera quæ a corde fide purificato veraque charitate inflammato fluunt; adeo ut quod illis eripit, his largiatur: illa ad justificationem, ad salutem nequaquam necessaria; hæc omnino: illa nihil, hæc multum admodum valere statuat^e. Patet illud ex locis sæpius citatis Gal. v. 6. et vi. 15. et 1 Cor. vii. 19. Quibus hæc addas loca illustria et seria attentione digna, Col. ii. 11, 12, 13. Rom. ii. 28, 29. Philipp. iii. 2, 3. Hinc argumentum formamus contra Solifidianos ἀκατάλυτον

Quatenus Paulus opera ritualia et externa ut non necessaria rejicit, eatenus opera spiritualia et interna ut necessaria admittit;

Sed opera ritualia rejicit ut non necessaria ad justificationem:

Ergo opera spiritualia ut ad justificationem necessaria admittit.

^e Hæc, et ea quæ sequuntur, prolixius diduxit vir reverendus in Apologia contra D. Tullium, VIII. 4. GRABE.

5. Ac profecto non alio fine externam illam justitiam in lege præscriptam pœnis adeo severis exigebat Deus, quam ut hinc manifestum fieret, justitiam illam spirituales, in evangelio clarius revelandam, atque altera illa adumbratam, æque imo multo magis esse necessariam. Non minus nobis necessaria est^f circumcisio cordis, quam Judæis erat circumcisio carnis: sine hac illos ab externa populi sui communi-
 96 one exscindebat Deus, sine illa nos a spe salutis ac regno cœlorum exclusurus. Nullus iis ad Dei templum ejusque sacra erat aditus, nisi ab omni corporali immunditia lavatis; nobis nisi ab omni inquinamento carnis et spiritus purificatis, ac sanctimoniam in timore Dei ad finem perducentibus, nullus patet in sacrarium cœleste et ἀχειροποίητον introitus. Si ab illis exegit Deus pecudum sanguinem atque adipem, a nobis multo magis postulat, ut nos ipsos ipsi hostiam vivam, sanctam, placentem, cultum illum nostrum rationalem sistamus; imo, si opus sit, pro veritate ipsius testanda nostrum ultro fundamus sanguinem: et sic in cæteris. Qui igitur necessitatem bonorum operum ad justificationem ex claris evangelii præceptis nondum edocti sunt, Mosen ad-
 ant, vel per obscura ejus rudimenta de errore suo turpissimo revincendi.

^f Hinc Justinus cordis circumcisionem, cum fide Christi conjunctam, conditionem esse in nova lege ad justificationem hominis necessario requisitam, docet. Nam in Dialogo cum Tryph. postquam ex Gen xv. 6. probasset, Abrahamo adhuc incircumciso justitiam fuisse imputatam, hæc subjungit: Καὶ ἡμεῖς οὖν ἐν ἀκροβυστία τῆς σαρκὸς ἡμῶν πιστεύοντες τῷ Θεῷ διὰ τοῦ Χριστοῦ, καὶ περιτομὴν ἔχοντες τὴν ὠφελούσαν ἡμᾶς τοὺς κεκτημένους, τοῦτ' ἐστὶ τῆς καρδίας, δίκαιοι καὶ εὐάρεστοι τῷ Θεῷ ἐλπίζομεν φανῆναι. p. 320. edit. Paris, 1636. [c. 92. p. 189.]

CAP. XV.

Notantur dogmata Judaica, de ratione justificationis ac salutis obtinendæ, a Paulo perstricta. Primus eorum error, quod vel nimiam humano arbitrio vim ac libertatem tribuerint, vel saltem gratiæ divinæ necessitatem ignorarint. Quod ex rabbinis et Josepho ipso ostenditur. Insignis Jacobi locus i. 13. et seqq. illustratur.

1. AUDIVIMUS apostolum adversus ipsam Mo-
sis legem per se spectatam prolixè disputantem, ut
quæ legis opera oppugnet Paulus, quibusque causam
suam agat argumentis, jam cuivis, ut opinor, satis
manifestum sit. Iis tamen, quæ hactenus disserui-
mus, clariorem adhuc (ni fallor) lucem attulerint,
quæ de corruptis Judæorum dogmatibus ultimo in
loco, ad fidem nostram liberandam, dicturi sumus.
Certe enim ad quamvis disputationem recte intelli-
gendam haud parum refert, occultos adversariorum,
quibuscum disputatur, super controversa materia sensus,
et collaterales, (ut ita dicam,) quas tuentur, hy-
potheses probe cognoscere. Has enim prudentem
disputatorem inter argumentandum aliquoties respi-
cere, atque identidem tacite perstringere, a vero non
absimile est. Hic autem rem non agemus incertis
conjecturis, neque quicquam Judæis affingemus, quod
ex probatis ipsorum scriptoribus eos revera sensisse,
non liquido constare credimus.

2. Primus igitur Judaicæ synagogæ error, isque
capitalis, ac fons pene cæterorum omnium, is fuit,
quod nimiam quandam voluntati atque arbitrio hu-
mano vim ac libertatem attribuerint; vel saltem gra-
tiæ divinæ necessitatem non agnoverint. Nimirum
putabant, proprias naturæ vires, addito tantum legis
adminiculo, velut commonitorio quodam, ipsis suffec-

turas ad justitiam atque adeo vitam æternam comparandam.

3. Celebris est et perantiqua Sapientum sententia, in ipso Talmude alicubi commemorata, quæque in diverbium fere inter Judæos abiit: *יש כל בידי השמים*, i. e. “Omnia sunt in manu Cœli, “excepto timore Dei^g.” Cujus dicti sensum Rabbi Saadia Gaon (ita *κατ' ἐξοχήν* dictus) hunc esse ait, quod ejusmodi in anima ac voluntate humana libertas sita sit, quæ quodammodo ab ipso Deo sit independens; atque hanc fuisse communem rabbinorum sententiam, non veretur asserere.

4. Idem etiam dictum citat et suo calculo comprobat Maimonides in octo capitulis, commentario suo in *Pirke Aboth* præmissis, cap. 8.^h *de Indole Humana*: “Quod,” inquit, “ad sententiam illam, “quæ apud Sapientes habetur, *Omnia sunt in manu Dei*, &c. est illa certe vera.” Et paulo post sententiam istam ita explicatⁱ: “Præcepta et interdicta legalia sunt de factis, in quibus homini est electio, ut “faciat ea, vel non faciat; atque in ista parte animæ “est timor Domini, nec est in manu Dei, sed permissa libero hominis arbitrio.”

5. Quin et multa sunt, quæ in eo ipso capite de voluntatis libertate audacter asserit Maimonides, velut in opprobrium gratiæ diviniæ: “Scias,” inquit^k, “rem, “in quam consentiunt et lex nostra et Græcorum “philosophia, verisque probationibus confirmatam “esse, hominis actiones omnes in ipsius potestatem “traditas esse, sine ulla omnino ad eas coactione, “neque esse exterius aliquod impellens, quod ipsum “ad virtutem aut vitium inflectat, præter unam tem-

^g In Lib. Sepher Emonah. ^h Versionis Pockockianæ, p. 236.

ⁱ P. 237. et 238. ^k P. 234.

“peraturæ dispositionem, qua fit ut res illi facilior sit, aut difficilior.” En! quam belle concordent (fatente Maimonide) in hac de libertate arbitrii controversia Hebræorum magistrorum placita cum philosophia Græcorum. Nihil magis viderunt de gratiæ necessitate isti alte sapientes, quam ipsi ethnici et pagani: imo certe minus; Maimonides enim nihil esse asserit, quod hominem extrinsecus ad virtutem inflectat, præter unam temperaturæ dispositionem, qua fit ut virtus ei facilior sit; de gratia et auxilio divino ne γρὺ quidem dicit: cujus tamen necessitatem Plato, Pythagoras, et plerique philosophi veteres constanter agnoverunt. Plato Menone¹: Εἰ δὲ νῦν ἡμεῖς ἐν παντὶ τῷ λόγῳ τούτῳ καλῶς ἐζητήσαμεν τε καὶ ἐλέγομεν, ἀρετὴ ἂν εἴη οὔτε φύσει, οὔτε διδακτὸν, ἀλλὰ θεία μοῖρα παραγιγνομένη. Jamblichus, cap. 28. de Pythagora: γελοῖον ποιούσιν οἱ ἄνθρωποι, ἄλλοθεν πόθεν ζητοῦντες τὸ εὖ, ἢ παρὰ τῶν Θεῶν, &c. Seneca Epist. 41. “Animum excellentem, moderatum, &c. cœlestis potentia agitatur: non potest res tanta sine adminiculo Numinis stare.” Atque iterum, “Nulla sine Deo mens bona est.”

6. Sed ad Maimonidem redeo, cujus de temperaturæ dispositione sententia ex ipsius verbis in ipso initio ejusdem capituli manifestior adhuc est: “Fieri non potest,” inquit, “ut producat homo ab ortu suo natura vel virtute vel vitio præditus; uti neque possibile est, ut producat natura artis ali-
“cujus practicæ peritus: hoc autem fieri potest, ut producat aptus natus sive ad virtutem aliquam, sive vitium, adeo ut actiones ad ea spectantes faciliores ipsi sint, quam quæ ad alia,” &c. Nimirum homo, ex sententia magni doctoris, eodem plane

¹ [Vol. IV. ed. Bipont. p. 389.]

modo natura comparatus est ad virtutem salutarem et artem practicam: neutram quidem ab ortu actu ipso habet, utraque tamen disciplina et usu acquirenda; quod tum demum facilius fiet, cum accesserit bona naturæ indoles, et temperaturæ dispositio. Atque hic quidem *εὐκρασίαν* temperamenti conferre dicit ad virtutem facilius acquirendam; haud negans¹, fieri posse, ut qui pessima temperaturæ dispositione laborat, longo usu et assuefactione sapiens bonusque evadat. Alibi tamen sui oblitus (quod scriptoribus istis *πολυγράφους* non raro usu venit) affirmat, bonam vel non malam naturæ indolem ad virtutem acquirendam esse omnino necessariam: et quibusdam ejusmodi a nativitate temperamentum contingere, quod nulla omnino exercitatione possit corrigi. Sic enim More Nevochim part. I. cap. 34^m: “Sunt quidam, qui a principio nativitatis suæ ejusmodi temperamentum nacti sunt, cum quo perfectio nullo modo potest consistere; ut e. g. Qui cor habet vehementer calidum et forte, iræ fræna ponere non potest, etiamsi summam adhibuerit exercitationem, &c. Ita reperies quosdam, qui sunt leves et inquieti, quorum motus inordinati et perturbati, de corruptione compositionis et malitia temperamenti, quod nequit corrigi, luculenter testantur. In talibus hominibus nunquam videtur intelligentia perfecta, ac proinde cum illis aliquid tentare velle in hoc negotio, mera est stultitia.” Sed illud obiter.

7. Pergit Maimonides capite citatoⁿ suum illud *ἀντεξούσιον* stabilire. “Summa,” inquit, “rei est, ut credas Deum, sicut voluerit ut esset homo erecta

¹ Vid. sequentia, p. 233.

^m [Versionis Buxtorfianæ, p. 48.]

ⁿ P. 241. et 242.

“ statura, lato pectore, digitis præditus, ita etiam
 “ voluisse ut pro libitu suo moveretur et quiesceret,
 “ et actiones sub electione cadentes, nullo ipsum ad
 “ eas cogente, vel ab iisdem cohibente, faceret; uti
 “ in libro veraci explicatum est, ubi hanc sententiam
 “ explicans dicit: *Ecce homo factus est ut unus e*
 “ *nobis, ad sciendum bonum et malum, &c.*^o Para-
 “ phrasis autem Chaldaica ita interpretatur sensum,
 “ ut vis verborum, *ut unus e nobis ad sciendum*
 “ *bonum et malum*, hæc sit: quod ipse jam factus
 “ fuerit unus in mundo, scil. species, cui nulla alia
 “ similis esset, quæ cum ipsa hoc respectu, qui jam
 “ illi contigit, communicaret. Quisnam autem fuit
 “ ille? scil. quod ipse pro arbitrio suo nota haberet
 “ bona et mala, ut utrum eorum vellet facere pos-
 “ set,” &c. Et mox in sequentibus affirmat: “ Illud
 “ necessario sequi existentiam hominis, scil. ut pro
 “ arbitrio suo actiones bonas aut malas præstet quan- 98
 “ docunque voluerit,” &c. Ac paulo post: “ Ipsum
 “ (hominem sc.) oportet assuefacere se actionibus bo-
 “ nis, quibus acquirantur ipsi virtutes, malas autem
 “ fugere, quo amoveantur ab ipso vitia, si in ipso
 “ fuerint; neque dicat, Insedit mihi affectus, qui
 “ mutari non possit; cum omnis affectus mutari
 “ possit, et a bono in malum, et a malo in bonum,
 “ atque hoc ipsius arbitrio permissum sit.”

8. Rursus illud fundamenti loco statuit P: “ Libero
 “ hominis arbitrio permissas esse actiones suas, ut
 “ quicquid libuerit facere faciat, et quicquid nolu-
 “ erit facere non faciat; (nisi hoc ipso ob delictum
 “ aliquod, quod commiserit, punierit ipsum Deus, ut
 “ tollat arbitrium ipsius;) atque acquisitionem virtu-
 “ tum et vitiorum penes ipsum esse. Quare oportet

“ ipsum se ad acquirendas virtutes irritare et excitare,
 “ cum non sit exterius aliquod impellens, quod ipsum
 “ ad eas impellat: atque hoc esse quod dicunt (Sapi-
 “ entes) inter hujus libri monita: *Si non ego mihi,*
 “ *quis mihi?*” Tandem putido huic de indole hu-
 mana sermoni finem imponit his verbis^p: “ Constat
 “ ergo ex his omnibus, quæ diximus, actiones homi-
 “ nis ipsius arbitrio permissas esse, ac penes ipsum
 “ esse, ut sit vel virtute præstans, vel malus,” &c.

9. Fateor his omnibus Maimonidem imprimis op-
 pugnatum ire sententiam eorum, qui coactionem et
 fatalem quandam actionibus humanis necessitatem
 imposuerunt. Sic enim ipse profitetur non longe ab
 initio ejusdem capituli: “ Hoc autem ideo tibi decla-
 “ ravi, ne futilia ista, quæ falso comminiscuntur
 “ astrologi, pro veris habeas, cum a nativitatibus
 “ suis homines virtute aut vitio præditos constitui
 “ asserant, eosque ad actiones istas necessario et vi
 “ adigi.” Sed

Incidit in Scyllam, dum vult vitare Charybdin;
 dum enim futilia astrologorum rejicit, impia et
 blasphemiae plena ex suo profert; atque ita coactionem
 tollit, ut ejus loco absolutam quandam ἀντεξου-
 σίαν, et ejusmodi arbitrii libertatem, quæ a gratia et
 operatione divina omnino independens sit, manifeste
 substituat.

10. Dices, Fuerunt hæc Rabbitorum sequioris ævi
 placita, ex quibus de veteri Judæorum doctrina ju-
 dicium ferre iniquum vel saltem temerarium est. Fa-
 teor; quin nec illud ibo inficias, Maimonidis et mo-
 dernorum Judæorum de libero arbitrio sententiam
 in aliquibus diversam fuisse a veterum quorundam
 opinione; ita tamen ut tam hi quam illi pariter in

divinam gratiam fuerint injurii. Ascendamus igitur ad ipsa Christi et apostolorum tempora.

11. Religio Judaica tum temporis in duas potissimum sectas divisa erat, Sadducæorum et Pharisæorum. Esseni enim vix inter Judæos numerandi; utpote qui (ut recte Baronius) schismatici fuerint, et schismate suo a cæteris divisi, h. e. a Pharisæis, Sadducæis, et cæteris Judæis universis. Neque enim sacrificabant in templo, eo quod sanctioribus (ut ipsi putabant) in conventibus suis ceremoniis uterentur: quin et extra urbem, in vicis a celebritate locorum remotissimis plerumque degebant. Ideoque^q de iis nulla in Scripturis mentio, sed nec, quod nonnulli putant, insinuatio: quanquam eos Christi sæculo extitisse inter Judæos, ex Josepho et Philone liquido constat.

12. Ad Sadducæos autem quod attinet, ex eodem Josepho apertissimum est, statuisse eos independentem arbitrii libertatem, qualem a Maimonide et posterioribus rabbinis defensam vidimus. Dicebant enim, referente Josepho, lib. XIII. Originum^r, "Ἀπαντα ἐφ' ἡμῖν αὐτοῖς τίθενται, ὡς καὶ τῶν ἀγαθῶν αἰτίους ἡμᾶς αὐτοὺς γινομένους, καὶ τὰ χεῖρω παρὰ ἡμετέραν ἀβουλίαν λαμβάνοντας." "Omnia in nostra potestate sita esse, " ut et bonorum autores nos ipsi simus, et mala ex " propria stultitia et temeritate eligamus." Et ἀλωσ. lib. II. c. 12.^s Ἦν Θεὸν ἔξω τοῦ δρᾶν τι κακὸν ἢ μὴ δρᾶν (sic enim legendum, non ἐφορᾶν, recte monet Gro-

^q Causam aliam assignat Grotius, *Vot. pro pac.* p. 95. "Cur eorum *Essenorum* mentionem Christus non faciat, causas attuli, " quod instituta illorum essent pia, et quod ex illis maxime Christus novum sibi collegit populum."

^r [*Antiq. XIII.* 5, 9. vol. I. p. 649.]

^s [*De Bel. Jud. II.* 8. vol. II. p. 166.]

tius^r) τίθενται. “Negabant Deum autorem fuisse, ut
 “quis vel peccet, vel a peccato abstineat.” Rursus
 in sequentibus de iisdem Sadducæis: φασὶ δὲ, ἐπ’ ἀν-
 θρώπων ἐκλογῇ τό τε καλόν, καὶ τὸ κακὸν προκεῖσθαι, καὶ
 τὸ κατὰ γνώμην ἐκάστῳ τούτων ἐκατέρῳ προσιέναι. i. e.
 “In electione hominis positum dicebant cum bonum,
 “tum etiam malum, et unumquemque pro arbitrio
 “suo ad utrumlibet accedere.” Hujus tamen sectæ
 disciplinam sequebantur plerique omnes illi ponti-
 fices^s, qui per Christi Domini œconomiam et apo-
 stolorum tempora altaribus adstantabant.

99 13. Si de Pharisæis quæras, videntur illi in con-
 trario fuisse errore, liberum arbitrium penitus tol-
 lentes, omniaque fatali cuidam necessitati subjici-
 entes. Sic enim diserte Josephus Antiq. Jud. lib.
 XVIII.c.2.^t Πράσσεισθαι εἰμαρμένη τὰ πάντα ἀξιούντες,
 “Credunt omnia fato fieri.” Sunt tamen alia non-
 nulla Josephi loca, in quibus aliter sensisse Pharisæos
 videtur statuere, de quorum sensu fervet adhuc inter
 doctos lis et controversia. Drusius a seipso dissidere
 Josephum audacter affirmat. Montacutius noster,
 falsum esse quod scripsit, dicere non dubitavit. Ba-
 ronius pronuntiat, Pharisæos omnia fato tribuisse:
 sed Baronium errasse contendit Casaubonus, ex ipso
 Josepho ostendere aggressus, Pharisæos mixturam
 quandam fati et liberæ voluntatis credidisse, quocum
 etiam Grotius^u videtur sensisse.

14. Sub incudem revocemus loca illa Josephi, quæ
 huic liti ansam præbuerunt. Ἄλωσ. lib. II. cap. 12.^x
 Εἰμαρμένη τε καὶ Θεῷ προσάπτουσι πάντα, καὶ τὸ μὲν
 πράττειν τὰ δίκαια, καὶ μὴ, κατὰ τὸ πλεῖστον ἐπὶ τοῖς ἀν-

^r In Matt. xxii. 23.

^s Act. v. 17.

^t [XVIII. 1, 3. p. 871.]

^u In Matt. xxii. 23.

^x [De Bel. Jud. II. 8, 14. p. 166.]

θρώποις κείσθαι· βοηθεῖν δὲ εἰς ἕκαστον καὶ τὴν εἰμαρμένην.
 Cui comparandus est alter Josephi locus, lib. XIII. Orig. cap. 9^y. ubi Phariseorum sententiam fuisse dicit: τινὰ καὶ οὐ πάντα τῆς εἰμαρμένης εἶναι ἔργον· τινὰ δὲ ἐφ' ἑαυτοῖς ὑπάρχειν, συμβαίνειν τε καὶ οὐ γίνεσθαι. Ecce omnes rerum eventus inter hæc tria, Deum, fatum, liberum hominis arbitrium, quasi distribuerunt: quid tribuerint singulis, inquirendum. Ad Deum quod attinet, de partibus ejus in rerum eventu quid senserint Pharisei, non satis exprimit Josephus, tantum dicens, Deo et fato ipsos omnia tribuisse. Videntur mihi sensisse, nihil a Deo immediate et de novo fieri, sed tantum mediante εἰμαρμένῃ illa, ab ipso prius in rerum creatione stabilita; eodem plane modo, quo Maimonides interpretatur dictum illud Sapientum, *Omnia fieri voluntate Dei*: “ Quod ad dictum,” inquit^z, “ omnibus notum, cui et “ similia reperiuntur in dictis Sapientum, nec non “ literis consignata, scil. Ut surgat homo vel sedeat, “ omnesque ejus motus fieri voluntate atque arbitrio “ ejus; est hæc sententia vera, sed certo modo, idque “ ut, si projiciente quopiam lapidem in aerem qui “ deorsum descenderet dicamus, descendisse illum “ voluntate Dei, verum est hoc dictum: quia voluit “ Deus, ut terra tota in centro esset, ideoque cum “ sursum projecta fuerit aliqua ejus pars, ea centrum “ versus moveretur; non quod Deus nunc demum, “ cum mota fuerit hæc terræ pars, voluerit ut deorsum moveretur. Atque hac de re discrepant scho- “ lastici, quos audiivi dicentes, voluntatem esse in “ omni re, de tempore ad tempus, perpetuo. Nos “ autem non ita sentimus; verum voluntatem fuisse

^y [Antiq. XIII. 5, 9. p. 649.]

^z In octo capitul. cap. 8. de indole humana, p. 239, et 240.

“ sex diebus creationis, et exinde res omnes juxta
 “ naturas suas continuo fluere, quemadmodum dicit^x;
 “ *Quod fuit, idem est quod erit, et quod futurum*
 “ *est, jam fuit; non est quid novum sub sole.*” Imo
 (quod miraculi instar habendum est) ipsa quæ vo-
 cantur miracula negat immediata aliqua Dei seu
 voluntate seu providentia fieri, sed ex occultis suis
 causis, in rerum creatione prius dispositis, suo tem-
 pore quasi exsilire, cum insanientibus suis sapienti-
 bus non veretur asserere. Hæc enim apud eum
 mox sequuntur; “ Atque hoc est, quod sapientes
 “ adegit, ut dicerent de omnibus miraculis, quæ ab
 “ ordinario rerum cursu deflectunt, quæ vel fuerunt,
 “ vel vi promissi futura sunt, præcessisse de ipsis vo-
 “ luntatem sex diebus creationis, et tum temporis
 “ naturæ rerum istarum inditum fuisse, ut contin-
 “ geret, quod in illis contigit; quod cum tempore
 “ illi constituto contigit, visum est esse rem recens
 “ productam, non autem ita revera esse.” Addit;
 “ Ac multum in hanc sententiam locuti sunt in
 “ Midrash Koheleth, atque alibi. Porro e dictis
 “ ipsorum in hunc sensum est, *Mundus secundum*
 “ *ordinem suum procedit*”. Quin et reperies ipsos
 “ semper in omnibus sermonibus suis sedulo cavere,
 “ ne voluntatem *divinam* in singulis rerum ac tem-
 “ porum momentis statuunt,” &c. Atque hanc fuisse
 ipsissimam Pharisæorum mentem, ex Josephi verbis
 liquet, cum mox dicit, ipsos credidisse, *βοηθεῖν εἰς*
ἕκαστον τὴν εἰμαρμένην, “ Fatum ad singulos eventus
 “ auxilium conferre.” Nempe statuebant, nihil præ-
 ter, supra, aut contra suam illam *εἰμαρμένην* a Deo
 fieri. In altero autem Josephi loco, omnes rerum

^x Eccles. i. 9.

^y עלם במנהגו הלך

eventus suis causis assignantes statuunt Pharisæi, quædam fato quidem omnino tribuenda, quædam etiam libero hominis arbitrio; nihil autem affirmant a Deo immediate fieri: multo igitur minus ex Josepho constat, Pharisæos specialem illam Dei providentiam, quæ gratiam et opem ad singulos bonos actus necessariam subministrat, agnovisse; quod tamen Grotius^z ex Josepho apertissimum esse, idque ab ipso alibi ostendi asserit, annotata sua ad Matt. xxii. 23. ubi hæc Josephi loca citat, ni fallor, indigitans.

15. De fato jam videamus. Eo dubio procul intellexerunt Pharisæi ordinem et *κατάστασιν* cœli, astrorum, et causarum secundarum ex iis pendentium, a causa omnium prima constitutam ac stabilitam; quam *δέυτερον τάγμα* appellat Josephus, Sadducæorum ex adverso de fato sententiam sic exprimens 100 *άλωσ.* lib. II. cap. 12.^a *Σαδδουκαῖοι δὲ τὸ δέυτερον τάγμα τὴν μὲν εἰμαρμένην παντάπασιν ἀναιροῦσιν, &c.* At quid demum huic fato concessere Pharisæi? nempe, *τινὰ εἰμαρμένης εἶναι ἔργον*, “quædam fatali omnino necessitate evenire;” scilicet, non solum res mere naturales, in quibus non est homini liberum arbitrium, v. g. ut sit procerus aut brevis, &c. de quibus solum interpretatur Maimonides^b dictum illud Sapientum, *Omnia sunt in manu Cœli*, &c. verum etiam quædam ex iis quæ sub electionem hominis cadunt, v. g. ut hanc talem in uxorem ducat, ut sint hæc opes in manu ipsius, &c. ad quæ dictum illud Sapientum extendendo, multum errasse homines, ait idem Maimonides. Nempe de his solum, quæ sub

^z In Luc. xviii. 11.

^a [De Bel. Jud. II. 8. Vol. II. p. 166.]

^b In octo Capit. cap. 8. de indole humana, p. 237, 238.

electione cadunt, inter Pharisæos et Sadducæos quæstio erat. Atque hinc (ut id obiter notem) inter modernos etiam Judæos mos obtinuit, ut ad nuptias vocati viro et fœminæ matrimonio jungendis bonam fortunam optarent hac formula; מזל טוב q. d. "Sit "bona vel fausta planeta:" (sic enim exponendam vocem *mazal* docet Maimonides^b;) quæ etiam verba desponsatæ puellæ annulo solebant inscribere, ut notat Munsterus ad Gen. xxx. 11.

16. Interim agnoscebant Pharisæi τινὰ ἐφ' ἑαυτοῖς ὑπάρχειν, συμβαίνειν τε καὶ οὐ γίνεσθαι, "quædam etiam "in nostro arbitrio sita esse, ut fiant, vel non;" καὶ τὸ μὲν πράττειν τὰ δίκαια, καὶ μὴ, κατὰ τὸ πλείστον ἐπ' ἀνθρώποις κείθαι. "Justa vero facere, vel secus, *plerumque* in hominis potestate esse." Ut in iis actibus, qui sub virtutem aut vitium cadunt, fatum minus agere, hominis vero arbitrium imprimis conspici existimarint; quanquam neque hi omnes, ex mente Pharisæorum, in hominis erant potestate; dicebant enim, *plerumque*, non *semper*. Porro vel ex hisce actibus, qui libero fiunt arbitrio, fatum non voluerunt Pharisæi omnino exclusum; dicebant enim, βοηθεῖν εἰς ἕκαστον τὴν εἰμαρμένην, "Fatum ad singulos actus "auxilium conferre."

17. Interim dicere maluerunt, Fatum *juvare*, quam *cogere*: quod Rabbi Abraham Zachuth etiam testatur, de Pharisæis sic scribens; "Credunt planetam "juvare; nihilominus relinquitur liberum arbitrium "in manu hominis." Atque ex hoc potius veterum Pharisæorum sensu, quam ex Maimonidis, aut neoterici alicujus Rabbini placitis interpretandum judico dictum illud Sapientum, de quo sæpius meminimus;

^b More Nevochim, part. 2. cap. 10.

“ Omnia sunt in manu cœli, excepto timore Dei,”
 h. e. Omnia sunt fatali astrorum imperio subjecta,
 solo hominis arbitrio excepto, in iis rebus, quæ ad
 religionem pertinent.

18. Estque hæc plausibilior sententiæ Pharisæicæ
 descriptio, utpote a Josepho, qui et ipse Pharisæicæ
 sectæ favebat, facta. Ex qua tamen non obscure
 liquere credo, Pharisæos, quicquid in contrarium ob-
 tenderunt, consequenter omnem arbitrii libertatem
 sustulisse. Statuerunt enim, ut ex ipso Josepho vi-
 dimus, liberum hominis arbitrium in quibusdam acti-
 bus, etiam ad religionem pertinentibus, fatali astro-
 rum vi atque efficacia constringi. Si in quibusdam,
 cur non in omnibus? Certe enim in singulis actibus
 eadem est arbitrii, eadem cœli vis: et si vel unico
 fatalis catenæ annulo humana voluntas religetur, de
 libertate ejus actum omnino et conelamatum est.
 Præterea dicebant, fatum ad singulos actus juvare;
 ex quo sequitur, nihil ab homine præter aut contra
 suum fatum fieri sive bonum, sive malum: e. g. De-
 tur aliquis ab ortu suo pestilenti sidere afflatus,
 adeoque *δυσκρασία* laborans; quæro, an homo iste
 malus necessario evasurus sit? Si sit, per fatum
 ergo tollitur liberum hominis arbitrium. Sin acci-
 dere possit, ut bonus fiat, sequetur, eum contra fa-
 tum suum agere posse, ac proinde fatum ad singulos
 actus auxilium non conferre. “ Nec mirum est” (ut
 recte doctissimus Montacutius noster^c) “ hosce hypo-
 critas, legis divinæ interpolatores, improbos et sce-
 leribus coopertos, juste a Deo relictos, in profanas,
 “ contrarias ac repugnantes sententias abiisse;” præ-
 sertim cum et hodie inter Christianos reperiantur

^c Appar. VII. p. 262.

non pauci, viri alioquin pii et docti, qui absolutum atque irresistibile Dei decretum (fatum Pharisaeicum absit ut iis impingam) cum arbitrii libertate componi posse existiment. Denique admodum difficile est in lubrico hoc astrologiæ studio pedem figere. Qui hæc semel arcana ingreditur, nescit quousque progrediat; qui aliquid astris concedit, tandem omnia tribuet. Quod et in hodiernis astrologis videmus, qui fiducia hujus suæ scientiæ eousque fere procedunt, ut quicquid singulare, imo et miraculosum, ac prorsus extraordinaria Dei virtute factum unquam est, astrorum situi ac viribus tribuant. Hi tamen nihil habent in ore frequentius, quam

Astra regunt homines, sed regit astra Deus.

Et

—————Sapiens dominabitur astris.

His motus rationibus arbitror, simplicem veritatem scripsisse Josephum, cum in loco primum citato de Pharisæis simpliciter pronuntiat, *πράσσειν εἰμαρμένῃ τὰ πάντα ἀξιούσι*, “existimasse eos omnia fato
101 “fieri:” ac proinde multo certius esse, lapsum fuisse Grotium^d et virum illum undequaque doctissimum, quem sequi profitetur, quam in Pharisæorum sententia explicanda lapsum Epiphanium, qui eos per astrologiæ studium omnia fatali necessitati subjecisse asserit; præsertim cum ante Epiphanium Justinus^e, qui apostolorum ætati vicinus fuit, in Dial. cum Tryphone eundem Judæis errorem impingat.

19. Ad propositum redeo. Ex iis, quæ diximus, nimis manifestum est, Pharisæos et malas suas actiones malo fato imputasse, et quicquid in bonis actibus

^d Vid. Grot. in Matt. xxii. 31.

^e P. 370. edit. Paris. 1636. [c. 141. p. 231.]

libero hominis arbitrio detraxerunt, non gratiæ divinæ, sed fatali astrorum vi atque efficacîæ tribuisse; ac credidisse, ad salutarem virtutem planetam quam Spiritum, bonam indolem quam novam naturam, *ἐκκρασίαν* temperamenti quam *ἀνακαίνωσιν* et *παλιγγενεσίαν* Spiritus divini, plus contulisse. Atque hoc ipsum Pharisæum in parabola voluisse credo, cum gratias Deo agit, quod non esset sicut publicanus, &c. Frustra enim sunt, qui confestim inde colligunt, Pharisæos gratiæ necessitatem agnovisse. Videtur enim Pharisæus hoc, quod bonus esset, providentiæ isti divinæ tribuisse, quæ feliciorum ipsi in nativitate sua, quam Publicano, cœli et astrorum *κατάστασιν* indeque natam *ἐκκρασίαν* temperamenti et *ἐμφυίαν* ingenii concesserit. Quod singulare prorsus Dei donum censuit et ipse Maimouides, illud miro acumine ex Prov. xxxi. 10. extundens^f: “ Quod autem inquit Solomon, *Mulierem strenuam quis inveniet?* Perspicua et clara est parabola; quod videlicet, cum homini contingit materia bona et conveniens, quæ ei non prævalet, nec dispositionem ejus corrumpit ac destruit, pro singulari dono Dei sit agnoscendum et habendum:” rationem mox subdit, “ Materia bona et conveniens facile regi potest.”

20. Hunc Pharisæorum pestiferum errorem ad Judæos scribens Jacobus videtur mihi satis manifeste perstringere i. 13—18. cujus periodi versibus tribus prioribus monet Judæos, ne tentati, h. e. tentatione victi (verbum enim *πειράζεσθαι* intelligendum hic cum pleno effectu, ut Gal. vi. 1. quo etiam sensu activum *πειράζειν* sumitur, 1 Cor. vii. 5. 1 Thess. iii. 5.) malas suas actiones fatali cuidam necessitati, atque adeo

^f More Nevochim, par. III. c. 8.

Deo, qui eam stabiliret, tribuerent; sed, ut oportuit, suo ipsorum arbitrio concupiscentia illecto ascriberent: verba sunt; *Nemo, quum tentatur, dicat, A Deo tentor. Nam Deus tentari malis non potest, nec quemquam ipse tentat. Sed unusquisque tentatur, dum a propria cupiditate abstrahitur et inescatur. Deinde cupiditas, posteaquam concepit, parit peccatum: peccatum vero peractum gignit mortem.* Quam hæc εἰμαρμένη pharisaicæ quadrabant! Constat enim eorum de fato doctrinam, si non directe, saltem consequenter, peccati autorem Deum fecisse. Si enim nihil fiat nisi juvante fato, (quod dicebant Pharisei,) sequitur nihil mali ab homine fieri, ad quod fatum, adeoque Deus autor fati non contribuat, et neminem recte agere posse fato contranitente. Præterea Sadducæorum sententia dubio procul Phariseis erat opposita: at illi posuerunt τὸν Θεὸν ἔξω τοῦ δράν τι κακὸν, et mala nos facere ἐξ ἡμετέρας ἀβουλίας dixerunt. Contrarium ergo statuebant Pharisei. In sequentibus eosdem Judæos hortatur apostolus, ut caveant, ne bonas suas actiones fatali illi astrorum imperio tribuerent. Verba ex fonte petemus, quia mire sunt emphatica: Μὴ πλανᾶσθε, ἀδελφοί μου ἀγαπητοί. πᾶσα δόσις ἀγαθὴ καὶ πᾶν δῶρημα τέλειον ἄνωθεν ἐστὶ, καταβαῖνον ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων, παρ' ᾧ οὐκ ἔστι παραλλαγή, ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα. Μὴ πλανᾶσθε, mos est loquendi (ut notat Grotius) ubi falsas opiniones, quæ aut irrepsere in quorundam animos, aut irrepere possent, amoliri volumus; ut 1 Cor. vi. 9. et xv. 33. Gal. vi. 7. 1 Job. iii. 7. At quænam ista opinio, a qua Judæis tantum erat periculi? scil. ex fatali vi astrorum, non per gratiam Dei ex libero ejus beneplacito in nos dimanantem, salutarem hominibus virtutem contingere. Hunc errorem mira elegancia per-

stringit in iis, quæ sequuntur : Πᾶσα δόσις ἀγαθῆ, &c. Vera et perfecta virtus, h. e. quam salus conuitatur, (quippe imperfectas quasdam ad virtutem dispositiones ab ipsa nativitate hominibus contingere non negat,) e cœlo et astris non defluit, sed ἄνωθεν, a superiore fonte, ab eo, qui astris sublimior est, ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων, ab eo qui *Pater* est, h. e. *Creator, luminum* sive stellarum. Ἄνωθεν hic idem significat, quod גבה שמים Job. xxii. 12. *An non Deus in altitudine cœli? et aspice caput siderum, ut excelsa sunt.* Ubi in altitudine cœli est in cœlo altissimo, quod *cælum cœlorum* a Davide, et *cælum tertium* ab apostolo vocatur. Nam tres cœli in sacris, infimum, medium, et supremum. Infimum continet omnes tres regiones aëris: medium complectitur illud, in quo sol, luna, sidera et stellæ: in supremo est solium divinæ Majestatis. Itaque verborum Jobi sensus hic est: Vide, quam excelsum sit cælum illud, in quo stellæ emicant; et tum considera, quanto excelsior sit Deus ille, qui longe sublimiori throno insidens caput siderum ac stellarum calcat. Πατὴρ τῶν φώτων est in Scripturis ἀπαξ λεγόμενον est tamen, ni 102 fallor, in Vetere Testamento, ubi astra vocantur בני אלהים *fili Dei*, nempe Job. xxxviii. 7. *Cum canerent simul stellæ matutinæ, et vociferati sunt omnes filii Dei.* Ubi per *filios Dei* in posteriori commatis parte Hebræi communiter *stellas* intelligunt. Neque ulla est in ea interpretatione ταυτολογία, cum in priori membro *stellæ matutinæ* non quascunque stellæ, sed *lucidissimas* significant: nam בקר sæpe idem, quod אור. Stellæ itaque matutinæ (juxta Hebræos) sunt septem ministrantes, h. e. planetæ, quæ et כוכבי אור, *stellæ luminis* vocantur, Psal. clxviii. 3. Sed ad nostram interpretationem stabi-

liendam non necesse est, ut has subtilitates aucupemur. Nam τὰ φῶτα ad literam sonant *lumina*, et vi articuli *certa quædam lumina*, et per synecdochen *cælestia*. Πατήρ est Hebræis *Creator*, sive *Auctor*, ut Πατήρ τῶν πνευμάτων, Heb. xii. 9. Simili appellatione Philo Judæus^g Θεοῦ λόγον dixit ὑπερουράνιον ἀστέρα, πηγὴν τῶν αἰσθητῶν ἀστέρων, “astrum supercæleste, fontem astrorum sensibilium,” et παναύγειαν, ἀφ’ ἧς ὁ ἥλιος καὶ ἡ σελήνη καὶ οἱ ἄλλοι πλανῆτές τε καὶ ἀπλανεῖς ἀρύνονται, καθ’ ὅσον ἐκάστῳ δύναμις, τὰ πρέποντα φέγγη, “Universalem splendorem, a quo sol, luna, cæteræ—quæ stellæ tam fixæ, quam erraticæ hauriunt singulæ, pro viribus, convenientes sibi splendores.” Hic sensus verborum πατήρ τῶν φώτων simplicissimus est et literalis, cui comparati cæteri omnes æquo iudici violenti videbuntur ac distorti: ut non possim non mirari, in tanta doctissimorum et κριτικωτάτων interpretum copia, neminem adhuc (quod sciam) reperiri, qui in hanc nostram interpretationem inciderit; præsertim cum voces, quæ sequuntur in hoc commate, sint (vel ipsis notantibus) omnes astronomica^h. Παρ’ ᾧ οὐκ ἐνι παραλλαγῇ, ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα, q. d. sol ipse, luminarium cælestium princeps, suas habet παραλλαγὰς sive παραλλάξεις; aliter conspicitur in ortu, aliter in meridie, aliter in occasu. Præterea habet τροπὰς, annuos a nobis abscessus, quos *solstitia* dicimus, Græci τροπὰς. Pro iis abscessibus alias nobis umbras jacet, quod est ἀποσκιάζειν. At Deus ille, a quo virtus omnis salutaris descendit, ut astris (quibus tanta nonnulli tribuunt) atque adeo sole ipso superior est, ita lux ejus infinitis gradibus perfectior. Non oritur ille, neque occidit, neque abscedit: mera lux est, sine

^g Περὶ τῆς κοσμοποιΐας, p. 6. edit. Paris. 1640. [vol. I. p. 7.]

^h Vid. Grot. in loc.

umbræ mixtura. Tandem huic eleganti sermone finem imponit divinus scriptor ver. 18. Βουλῆθεις ἀπέκύνθησαν ἡμᾶς λόγῳ ἀληθείας, &c. q. d. Quod fideles et pii sumus, non evenit ex fatali aliqua necessitate, sed ex liberrimo Dei per Christum beneplacito: neque id debetur εὐκρασία isti temperamenti, quæ ἐξ εὐταξίας cœli in nostra nobis nativitate obtigit; sed ἀνακαινώσει καὶ παλιγγενεσίᾳ, novæ et cœlesti illi nativitati, quam per evangelium effecit in nobis Spiritus divinus. Omnia certe clarissima mihi videntur; sed judicent eruditi.

21. Ut tandem sermone huic satis prolixo finem imponam, perspicere hinc quivis possit, quam crassa ac profunda gratiæ ignorantia laborarint universi Judæorum magistri: Sadducæis statuentibus absolutam arbitrii ἀύτοεξουσίαν, Pharisæis fato et astris divinæ gratiæ honorem deferentibus: adeoque quam necessariam navarit operam Paulus, qui gratiæ divinæ vim atque efficaciam, et arbitrii et naturæ humanæ viribus oppositam, toties et tam magnificis verbis prædicet.

CAP. XVI.

103

Secundus Judæorum error, quod spem salutis suæ posuerunt in civili illa justitia, quæ in lege disertis pœnis sancita erat. Hinc factum, ut substiterint in obedientia, vel 1. negativa, vel 2. externa, vel ad summum 3. partiali ac dimidiata. Quorum singula ex S. Scripturis et Hebræorum scriptis explicantur ac demonstrantur.

1. ALTER Judæorum error crassissimus quidem, at quem maxima eorum pars errarunt, is fuit, quod justitia quadam civili, quaque pœnas in lege intentatas effugerent, contenti, de perfectiori illa pietate,

in lege etiam insinuata, præstanda non cogitarint, neque ad sanctitatem illam eximiam, quam omnes sinceri numinis cultores affectare debent, adspirarint.

2. Videtur hic eorum error e priori quodammodo natus, atque ei, veluti in subsidium, additus. Concepta enim inani illa in animo de viribus suis fiducia, intererat eorum, imo plane necessarium erat, ut justitiam etiam quandam sibi fabricarent viribus istis commensuratum, h. e. tenuem, pusillam, angustam; ita in legem Dei crudelitatem exercentes non dissimilem ei, qua refert Plutarchus Procrusten usum fuisse in suos hospites; nimirum ne lex vires ipsorum excederet, legem ipsam ad suum modulum exigentes, atque ipsius perfectioni detrahentes, ut perfectionem istam suam sartani tectam conservarent. Fieri tamen potest, ut e contra error iste Judæorum supra commemoratus, de sufficientia suarum virium sine specialis gratiæ adjutorio, inde profectus fuerit, quod justam divinæ legis amplitudinem non intellexerint; quin potius obedientiam in ea præscriptam, dilutam, angustam, facilem sibi imaginati, suis viribus plus æquo tribuerint, nec præpotentioris gratiæ necessitatem agnoverint; ad instar ejus, qui hostem sibi stramineum sistens magnos inde sumit animos, atque ex facili sibi spondet victoriam.

3. Verum undecunque error hic profectus sit, Judæos ita errasse, ab ipso Paulo, qui et doctrinam Judaicam a summo legis perito Gamaliele hauserat, et Pharisaicæ sectæ nomen dederat, cognosci possit. Is igitur quo tempore Pharisæus erat, vixisse se ait inculpatum, quod ad justitiam attinebat eam, quæ est in lege, Phil. iii. 6. ubi *legis* nomen, (ut recte Grotiusⁱ;) palam est ita usurpari, quomodo dixit Seneca,

ⁱ In Matt. v. 20.

“exiguum esse quiddam ad legem bonum esse.” Eam nimirum legem intelligit apostolus, quam in cognoscendis causis Hebræi iudices sequi tenebantur, qui neque animum poterant introspicere, neque vero ad puniendâ omnia secus facta, sed ea duntaxat, quæ societatem civilem præcipue læderent, potestatem acceperant. Ideo igitur se secundum legis justitiam ἀμεμπτον esse dicit, quod nullum crimen in se admisisset, propter quod iudicio legis externo, aut pœnæ alicui in lege constitutæ ac per iudices irrogandæ fieret obnoxius. Certe enim vix alio sensu se, quod ad legis justitiam attinet, inculpatum vixisse in Pharisaismo, dicere vel potuisset, vel ausus fuisset. Hanc tamen qualemennque justitiam et se olim ante fidem suam magni fecisse, non obscure fatetur, ver. 7. et a contribulibus suis, etiamnum in Judaismo versantibus, tanquam egregium aliquod, de quo gloriari poterant, summo in pretio habitam fuisse innuit, ver. 4.

4. Ex hoc impurissimo fonte non paucae Judæorum de obedientia Deo præstanda pessimæ opiniones manarunt. Paucas ex multis annotabimus. 1º. Hinc factum est, ut in religione plerumque negativa acquieverint, satis esse existimantes, si a delictis, præsertim enormibus, abstinerent, opera interim pietatis et charitatis Deo proximoque debita parum curantes: h. e. in peccatis commissionis, quæ vocantur, evitandis præcipuam operam posuerunt, omissionis peccata susque deque habentes; quippe negativis præceptis pœna ut plurimum annexa erat, affirmativis admodum raro. Hinc legimus Pharisæum Deo 104 gratias egisse, quod non esset, sicut reliqui homines, raptores, injusti, mœchi, vel etiam ut e longinquo orans publicanus, Luc. xviii. 11. in magna laude ponentem, non esse in sceleratissimorum numero.

At quid boni fecerat Thraso iste superbus? Nihil habuit, quod coram Deo prætenderet, præter frivola quædam ac mere externa opera: *Jejuno, inquit, bis hebdomade, decimo quæcunque possideo*, ver. 12. Qua de causa Clemens Alexandrinus Pharisaicam et Christianam justitiam hoc modo explicat^k: Ἐὰν μὴ πλεονάσῃ ὑμῶν ἢ δικαιοσύνη πλεῖον τῶν γραμματέων καὶ φαρισαίων, τῶν κατ' ἀποχὴν κακῶν δικαιουμένων, σὺν τῷ μετὰ τῆς ἐν τούτοις τελειώσεως, καὶ τῷ τὸν πλησίον ἀγαπᾶν καὶ εὐεργετεῖν δύνασθαι, οὐκ ἔσεσθε βασιλικοί. Nimirum Pharisæi erant tantum κατ' ἀποχὴν κακῶν δικαιούμενοι, *justi, quod ad abstinentiam a criminibus attinet*. Egre-
giam vero laudem! Quid enim vel poeta Ethnicus?

Nec furtum feci, nec fugi, si mihi dicat

Servus, habet pretium; loris non ureris, aio.

Non hominem occidi; non pascēs in cruce corvos.

Ex hac tamen a gravioribus peccatis abstinentia, non tantum impunitatem sibi promiserunt, sed et meritum somniarunt delirantes Pharisæi. Hinc Rabinorum istud e tripode oraculum, (Mishnah lib. Kiddushin,) “ Quisquis a violatione præcepti abstinerit, “ *מי שר כעשה מצוה* præmium ei tribuetur, “ quasi præceptum observasset.”

5. 2^o. Ex hoc fonte effluxit pessimum illud Phariseorum dogma, quo delicta cordis (puta invidiam, superbiam, avaritiam, iracundiam, desideria immunda, &c.) parvi penderent; illa tantum quæ in factis externis conspicitur justitia contenti. Nimirum (ut optime Grotius^l) quanquam scirent legem latam a Deo, mentium inspectore, qui et ex animo se diligere vellet, et pravas cupiditates interdiceret; tamen quia talibus præceptis pœna nulla diserte erat apposta,

^k Lib. VI. Strom. p. 696. [p. 825.]

^l In Matt. v. 20.

ideo ea habuerunt pro consiliis potius quam præceptis, aut certe partim quotidianis victimis, partim annuo sacro piaculari ita putabant eas labe expurgari, ut nulla earum memoria apud Deum restaret. Utut est, certe non tantum Judæorum vulgus, sed et Scribas et Pharisæos ipsos in turpissimo hoc errore fuisse, nimis manifestum est. Hinc Christus ipse Matt. v. Pharisæicis dogmatibus sua opponens sanctissima præcepta, affirmat ver. 21, 22. quod cum Pharisæi ea tantum pro delictis haberent, quæ solent legitimis pœnis coerceri, ideoque ab homicidio absterrent homines, quia homicidas gladio feriri lex imperasset; ipse tamen voluerit, ut etiam iracundiam caverent discipuli sui, certo persuasi, ei quoque propositam esse pœnam in sæculo altero non minus gravem, quam ea est, quam hic homicidæ sustinent: quod si quis iracundiæ maledicentiam adjunxerit, eum pœnam ista graviolem laturum, qualis est pœna lapidationis, a magno synedrio irrogari solita: aut etiam si atrocior fuerit maledicentia, exquisitiores cruciatus passurum, quales esse solent eorum, qui in valle Hinnomi lentis ignibus ustulantur. Hanc enim esse simplicissimam ejus loci paraphrasin, non temere dixit Grotius. Simili plane modo dilutam Pharisæorum septimi præcepti interpretationem perstringit Christus ver. 27, 28. ostendens violati illius præcepti reum esse, non solum qui externum adulterii actum perpetrat (quod putarunt et docuerunt Pharisæi) sed etiam, qui in conspectam alius uxorem impuro fertur desiderio. Hinc etiam toties et tam acriter Pharisæos istos avaritiæ, superbiæ, aliarumque internarum impuritatium increpuit Dominus, ut videre est Luc. xvi. 13, 14. et xviii. 9, 10. Matt. xxiii. 25—28.

6. Postremo hanc fuisse ipsam Judæorum senten-

tiam, ex probatis ipsorum scriptoribus luce clarius apparet. Duo tantum testimonia a Grotio, atque ante eum ab aliis^m citata (at ea quidem appositissima) in medium proferam. Prius est illud Josephi, qui in Pharisaismo, ut ipse fatur, accurate institutus, Polybium Historicum reprehendit, quod mortem Antiochi adscripserit cogitato quidem, at non perpetrato sacrilegio; hæc verba subjungens: τὸ γὰρ μηκέτι ποιῆσαι τὸ ἔργον βουλευσάμενον, οὐκ ἦν τιμωρίας ἄξιον, h. e. “Cum non perpetrarit, quod in animo habuerat, “scelus, supplicium haud commertus est.” Sed apertius adhuc loquitur magnus ille Hebræorum magister, David Kimchi, qui verba ista Psal. lxvi. 18. *Iniquitatem si vidissem in corde meo, non exaudisset Dominus*, plane contra manifestam Davidis sententiam ita interpretatur: “Etiamsi viderim iniquitatem in “corde meo, quam vel paratus essem in actum pro- “ducere, utut illa sit coram Deo, ac si eam labiis “protulissem, tamen non audiet eam Dominus: q. d. “non ducet mihi eam sceleri. Cogitationem enim “pravam Deus non habet vice facti, nisi concepta “fuerit in ipsius fidem ac religionem.” Proh pudor! Quam hæc διδασκάλου τοῦ Ἰσραήλ indigna! quippe omnia animi decreta, quæ quo minus implerentur, penes hominem non stetit, excepta sola defectione a Judaismo, statuit a Deo non imputari, neque pro peccatis duci.

- 105 7. 3°. Πρῶτον illud ψεῦδος et alium errorem procreavit, quo eorum præceptorum, quæ nullis pœnis disertis sancita erant, mutilatam quandam et (si ita loqui liceat) partialem obedientiam plusquam sufficere credebant cæci illi cæcorum duces. Nimirum

^m Vid. Cornel. a lap. in Matt. v.

satis legi fieri credentes, si præcepta sub pœna mortis exacta custodirent, quicquid in cæteris præstiterint, pro supererogatione quadam ducebant. Miram hanc doctrinam tradunt Judæorum Magistri in Mishnah, lib. Maccoth, sect. ult. ubi docent, ideo tam ingentem præceptorum numerum in lege datum esse Judæis, (quippe præcepta 613. enumerant) ut ex iis, quæ vellent, sibi seligerent, quibus præstandis vitam æternam promerent. Sic enim locum illum explicat Obadias de Bartenora: “ Quisquis vel unum ali-
 “ quod ex 613. præceptis sincere observaverit, הנה
 “ זכה בה להי עולם הבא, ecce is illud præstando
 “ vitam merebitur æternam.” Ubi cum “ vel unum
 “ aliquod præceptum” dicit, intelligendum puto de iis præceptis, quæ pœna mortis non erant sancita: illa enim universa absolute esse ad salutem observatu necessaria, fieri vix potuit, ut non crederent Judæi. Etsi non negarim, quædam Rabbiorum dicta contrarium sensum postulare videri; nec mirum sit, magistros istos, justo Dei judicio occæcatos, in errores vel absurdissimos incidisse.

8. Notum est et tritum apud Judæos axioma, a Maimonide commemoratum: העוסק במצוה פטר מן
 המצוה, “ Qui operam dat præcepto, liber est a præ-
 “ cepto.” Cui geminum est illud: אין מעבירין על
 המצות, “ Non licet præcepta transilire.” Quod ita
 exponit Maimonides: “ Quisquis operam dat uni ali-
 “ cui præcepto custodiendo, ab eo non debet de-
 “ sistere, ut ad aliud præceptum observandum trans-
 “ eat.” Diserta sunt etiam verba Hebræorum doc-
 torum in Mishnah, lib. Kidd. cap. 1. sect. 10. כל
 העושה מצוה אחת וכו
 “ Quisquis unum aliquod præ-
 “ ceptum observaverit, ei bene erit, et dies ejus per-
 “ petuabuntur et possidebit terram,” &c. Non mihi

latet, dictis hisee Rabbinorum plusquam crudis a Maimonide aliisque granum salis adhiberi; sed et ipse sal insipidus est. Statuunt enim necessarium esse, ut bonum illud opus, quod quis præstat, tale sit et tanti, ut illo addito merita ejus præponderent malis actionibus: qua posita conditione, de salute securum eum esse jubent. Qua de re qui plura Rabbinorum testimonia legere volet, consulat Smitthæi nostri, (viri rabbinicæ eruditionis peritissimi,) inter selectos sermones Anglice conscriptos, dissertationem de legali justitia, ejusdemque imprimis caput secundum.

9. Insulsum hoc et impium scholæ Pharisæicæ commentum redarguere videtur Dominus noster Matt. v. 19. his verbis: *Quisquis solverit unum ex mandatis hisee minimis, atque ita docuerit homines, minimus vocabitur in regno cælorum, &c.* Quam hæc ad Pharisæos pertinebant, qui multa Dei præcepta (paucis quibusdam curatis) et ipsi susque deque habebant, et aliis, ut idem facerent, autores et magistri erant! Ideoque mox sequitur ver. 20. *Dico enim vobis, nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, &c.* Nec minus aperte Jacobus ad Judæos, Christianos jam factos, scribens ii. 10, 11. *Qui totam legem servat, in uno autem transgreditur, toti legi obnoxium se reddidit, &c.* q. d. Cavete vobis a mutilata illa præceptorum observantia, quam olim in Judaismo versantes a magistris vestris didicistis: longe enim aliam Dominus ille, cujus nunc discipuli estis, obedientiam a vobis postulat; nempe, ut omnibus et singulis ejus mandatis custodiendis sincerum sedulumque studium adhibeatis. Hanc Jacobi interpretationem (quæ certe sponte mihi sese obtulit) video Paulo Bergensi Ju-

dæo etiam placuisse, ut et doctissimo interpreti Estio; qui etiam eodem refert ista Pauli verba, Gal. iii. 10. *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, &c.*

10. Hujus autem doctrinæ, alias satis periculosæ, et maximum certe periculum in eo situm erat, quod plerique hunc sibi delectum permissum credentes, ex præceptis Dei ea maxime sibi observanda sumerent, quæ minora erant ac præstatu faciliora, quæque carni suæ erant minus ingrata, aliis longe majoris momenti susque deque habitis. Quod et a Pharisæis factum esse testatur Christus ipse, Matt. xxiii. 23. ubi notatur τὸ ἀκριβὲς eorum in observando decimandi præcepto, quod vel minutiora olera (quæ an lex comprehendisset, controversum erat) non solvere iis religio erat, iis interim neglectis, quæ erant τὰ βαρύτερα τοῦ νόμου, qualia iudicium, misericordia et fides.

CAP. XVII.

106

Tertius error Judæorum, imprimis Pharisæorum, quod in frivolis quibusdam ritibus atque institutis πατροπαράδοτοι justitiam ponerent, iisque summa Dei mandata postponerent. Item quartus atque ultimus, quod larvata ista justitia contenti, de Messia non cogitarent, qui meliori ipsos justitia impertiret. Denique ex ista dogmatum Judaicorum descriptione consecutaria quatuor ad Paulum recte intelligendum perutilia deducuntur.

1. PORRO non minima Judæorum, imprimis Pharisæorum, stultitia erat, quod justitiam statuebant in frivolis quibusdam atque adeo ridiculis operibus, ritibus et ceremoniis, suo cerebello procusis; quibus etiam tantum tribuebant, ut iis ipsa Dei præcepta, eaque maximi momenti, posthaberent. Hujus generis

erat ante cibum ac post reditum a foro aut cœtu hominum frequentiori (ubi personæ reive alicujus immundæ contactu facile iis erat pollui) accurata ac sollicita manuum lavatio, Marc. vii. 3. in qua eam ἀκρίβειαν observarunt, ut se laverint μέχρι τοῦ ἀγκῶνος, *ad cubitum usque*, ut recte, meo judicio, πνυγμῆ exponit Theophylactus. Nempe iis mos erat, manus inter lavandum in altum attollere, et digitis contractis superfusam aquam excipere, quam necesse fuit inde ad cubitum usque defluere. Quin et lotiones poculorum, et lagenarum, et vasorum æris, (testacea enim frangebant, si polluta crederent) et lectorum, summa cum religione observabant; ut testatur Marcus ibid. 4. addens etiam diserte, fuisse alias multas id genus nugacissimas ceremonias, quas sedulo custodiendas a senioribus acceperant. De quibus multa legere est in libris Judæorum, eorumque qui de moribus ipsorum scripserunt; quas hic etiam recensuissem, nisi meminissem ejus, quod poëta cecinit:

Turpe est difficiles habere nugas,
Et stultus labor est ineptiarum.

2. Pharisæos autem in frigidis hisce ritibus justitiam collocasse, liquet ex citato capite ver. 5. ubi dicuntur ob eos neglectos discipulos Christi criminis quasi piacularis arguisse. Quin et eos ceremonias istas Dei ipsius mandatis, iisque maximis prætulisse, Christus ipse testatur ver. 8. ubi dicit ipsos neglexisse mandatum Dei (dilectionis scil. mandatum Dei κατ' ἐξοχὴν dictum) ut traditiones istas suas observarent: quippe ridiculis quidem istis at operosis ritibus summe intenti, præceptum illud maximi momenti parum curabant; quod ipsum satis fuit mali. At deinde gradu facto, Christus insuper demonstrat, fuisse quasdam eorum παραδόσεις, quæ non tantum

avertent ab internæ pietatis studio, verum etiam directe repugnarent præceptis a Deo traditis; ut solet superstitio in pejus procedere, ver. 9, 10, &c. Hæ autem traditiones fuerunt procul dubio in earum numero, quas a patribus ipsius acceptas se ante fidem suam ardentissimo zelo affectasse testatur Paulus, Gal. i. 14.

3. Quarto, in hac sordida justitia (quis non miretur?) secure et suaviter acquiescentes Judæi, eamque non minus apud Deum quam apud homines valere credentes, de serio expetenda peccatorum remissione non erant solliciti; neque vero expurgandis animis extirpandisque vitiis istis, quæ inter homines dissimulari solent, operam navabant; neque (hinc fundi Judæorum calamitas) Messia tali opus putabant, qui medicinam afferret ei parti, quam ipsi ægrotare non sentiebant: vide Matt. ix. 10, 11, 12. Joh. v. 39, 40. et ix. 39, 40, 41. Messiam quidem expectabant, at qualem ipsi sibi finxerunt; nempe, Regem quendam gloriosum, vi et armis et opibus præpollentem, qui a jugo Romanæ servitutis Judæicam gentem liberaturus esset, ac regnum Davidis super omnia orbis terrarum imperia evecturus. Messiam autem morte sua peccata ipsorum expiatorum adeo non credebant, ut ipsum mori iis probrosum videretur; unde crux Christi dicitur fuisse Judæis *σκάνδαλον*, *offendiculum*, 1 Cor. i. 23. Legem Mosis in ipso finem et complementum suum habiturum, ipsumque doctrinæ suæ luce Spiritusque efficacia homines ad justitiam illa, quam sibi ipsis stulte imaginati sunt, imo quam legis ipsius litera præscripserat, longe sublimiorem perducturum, ne somniarunt quidem, quippe magni illius mysterii profunda laborantes ignorantia, Christum scilicet futurum *τέλος τοῦ νόμου εἰς δικαιοσύνην*,

finem, perfectionem ac complementum legis, ut deinde per ipsum solum fierent veræ justitiæ participes, quotquot in eum credituri essent, Rom. x. 4.

4. Atque is fuit Judæorum in hac de justificatione et operibus doctrina sensus, quo, ad institutum nostrum quod attinet, sufficienter explicato, consectoria inde nonnulla ad rem, quam præ manibus habemus, haud prorsus inutilia deducemus. Ac primo quidem hinc constat, toto eos cælo a scopo apostoli aberrare, qui statuunt eum contra obedientiam ἀναμάρτητον, usquequaque perfectam atque omnibus numeris absolutam disputare, tanquam dogma inter Judæos receptum defensumque. Ex iis enim, quæ diximus, manifestum fit, eos ab hac persuasionem tam longe abfuisse, ut e contra intra obedientiam nimis imperfectam substituisse contenti fuerint.

5. 2^o. Hinc patet, doctrinam istam, quam apostolo affingunt Solifidiani, a scopo ipsius esse etiam alienissimam. Statuunt enim, apostolum docere, bona opera ad justificationem nequaquam esse necessaria. At cui, quæso, fini, cui bono apud Judæos serviret ejusmodi disputatio? certe quidem parum necesse fuit, ut necessitatem bonorum operum deprimeret apud eos, qui de bonis operibus, de vita in conspectu Dei rite instituenda, jam sua sponte nimis incuriosi erant. Sanctissimo apostolo multo magis conveniebat calcaria cessatoribus istis addere, necessitatem veræ justitiæ sinceræque sanctimoniam rigide urgendo, eosque ad expurganda vitia ista, præsertim interna, in quibus plane consopiti jacuerunt, acriter exstimulando; quod et revera facit. Quid, quod eundem illum Solifidianismum, quem putant nonnulli apostolum in suis contra Judæos disputationibus defendere, ipsi Judæi (mutatis quidem mutandis)

acriter atque animose propugnarunt? constat enim eos existimasse, omnem Israelitam, qui modo professionem Judaismi et fiduciam fœderis cum Abrahamo initi non abjecisset, partem tandem habiturum in altero sæculo, i. e. in vita æterna: quæ certe, mutato tantum Judaismi nomine in Christianismum, est ipsissima Solifidianorum nostrorum sententia.

6. Hanc certe sententiam Maimonides audacter ac rotunde enuntiat, Tract. de Pœnitent. cap. 3. “Improbi omnes, quorum peccata exuperant bona ipsorum opera, judicabuntur secundum mensuram peccatorum suorum ita exuperantium; ac postea partem habebunt in futuro sæculo: שכל ישראל “partem habebunt in futuro sæculo: שכל ישראל i. e. Eo quod omnes Israelitæ partem habituri sunt in futuro sæculo.” Axioma autem illud, “Omnes Israelitæ partem habebunt in futuro sæculo,” ex Mishnah desumptum est Tract. Sanhedrim cap. 11.^m ubi ut receptissima inter Judæos sententia proponitur; pauculis tamen ex ea universalitate exceptisⁿ, viz. “qui negat in vitam revocandos esse mortuos; legem esse a cœlo; qui libros extraneos legit; qui adsusurrat plagæ verba, Exod. xv. 26. denique qui nomen tetragrammaton suis literis pronuntiat.” Insignis quoque sententia est, quæ e Thalmud Judæorum citatur a Munstero^o; שאברהם יושב על פתחי של גיהנם “Abraham sedet juxta portas inferni, et non permittit ullum iniquum Israelitam descendere ad infernum.”

7. Istam autem antiquitus inter Judæos obtinuisse sententiam, docet nos Justinus Martyr, qui עת

^m [Vol. IV. p. 259. ed. Surenhusii.]

ⁿ Vide Maimon. in explicatione istius capituli.

^o In Matt. iii. 9.

πρώτην τῶν ἀποστόλων διαδοχὴν attigerit, quique disciplinam Judaicam, qualis ejus ætate doceretur, habuerit (si quis alius) perspectissimam. Is in Dialog. cum Tryph. (prope finem P) postquam dixisset, Judæos non potuisse veram sapientiam percipere, eo quod ex fonte Dei vivo non bibissent, sed ex fractis cisternis et aquam continere non valentibus, mox subjungit; Εἰσὶ δὲ λάκκοι συντετριμμένοι, καὶ ὕδωρ μὴ συνέχοντες, οὓς ὄρνεον ἡμῖν οἱ διδάσκαλοι ὑμῶν αὐτῶν, ὡς καὶ ἡ γραφὴ διαρρήδην λέγει, διδάσκοντες διδασκαλίας, ἐντάλματα ἀνθρώπων. Καὶ πρὸς τοῦτοις ἑαυτοὺς καὶ ὑμᾶς βουκολοῦσιν, ὑπολαμβάνοντες ὅτι πάντως τοῖς ἀπὸ τῆς σποράς τῆς κατὰ σάρκα τοῦ Ἀβραὰμ οὖσι, καὶ ἁμαρτωλοὶ ὧσι καὶ ἄπιστοι καὶ ἀπειθεῖς πρὸς τὸν Θεόν, ἡ βασιλεία ἡ αἰώνιος δοθήσεται· ἅπερ ἀπέδειξαν αἱ γραφαὶ οὐκ ὄντα· i. e. “Sunt autem cisternæ fractæ, aquam non continentes, illæ, quas vobis foderunt ipsi Rabbini vestri, prout apertis verbis Scriptura ait, *Docentes doctrinas mandata hominum*: qui insuper et seipsos et vos decipiunt, existimantes eis universim, qui ex satu secundum carnem Abrahæ sunt, quamvis peccatoribus et infidelibus et erga Deum immorigeris, regnum æternum datum iri; quæ non consistere sacræ demonstrarunt literæ.” Et paulo post veram remissionis seu justificationis obtinendæ rationem, Judæorum aliorumque hac ex parte iis adstipulantium

108 somniis oppositam, his verbis pandit reseratque; Τοῦτο δὲ ἐστίν, ὡς μετανοήσας ἐπὶ τοῖς ἁμαρτήμασι τῶν ἁμαρτημάτων παρὰ τοῦ Θεοῦ λάβῃ ἄφεσιν, ἀλλ’ οὐχ’ ὡς ὑμεῖς ἀπατάτε ἑαυτοὺς, καὶ ἄλλοι τινὲς ὑμῖν ὅμοιοι κατὰ τοῦτο, οἱ λέγουσιν, ὅτι καὶ ἁμαρτωλοὶ ὧσι, Θεὸν δὲ γινώσκουσιν, οὐ μὴ λογίσηται αὐτοῖς κύριος ἁμαρτίαν· i. e. “Id autem est hujusmodi, quod qui a peccatis resipuerit,

“ remissionem is illorum sit consecuturus: non ita
 “ tamen, sicuti vos seducitis vosmet ipsos, et alii iti-
 “ dem vobis hac in re persimiles, qui dicunt, etiamsi
 “ peccatores sint, non imputaturum tamen eis esse
 “ Dominum peccatum, ut modo Deum agnoscant.”
 Ubi in verbis illis, *καὶ ἄλλοι τινὲς ὑμῖν ὅμοιοι κατὰ τοῦτο*,
 dubio procul Gnosticæ factionis sectatores perstringit,
 quos errorem istum turpissimum errasse docet nos
 Irenæus passim^q. Certe ego persuasissimum habeo,
 Jacobum apostolum (ad Judæos scribentem) adver-
 sus istam tum Judæorum, tum Judaizantium Gnosti-
 corum pestiferam doctrinam, totam illam disputa-
 tionem de fide et operibus, quæ ejus Epistolæ cap. ii.
 continetur, instituisse. Sed istud obiter.

8. Miræ autem hujus inter Judæos receptæ opini-
 onis non obscura indicia reperire est in aliis N. T.
 scriptis; vide Matt. iii. 8, 9, 10. Joh. viii. 39. Rom.
 ix. 6. Ex professo autem hanc sententiam oppugnat
 Paulus Epist. ad Rom. cap. ii. fere per totum, ubi
 scopus ejus est ostendere, frustra Judæos circum-
 cisioni ac fœderi divino confisos esse, dum turpissi-
 mis vitiis indulgerent, ac de vita sua ad normam
 divinæ legis exigenda nihil quicquam essent solliciti.
 Consule imprimis ver. 9—13, et 17. usque ad finem
 capituli. Qui igitur fidem solam sine bonis operibus
 ad justificationem sufficere tanto conatu contendunt,
 ne scilicet ad Judaismum accederent, in ipsum jam
 (cum veteribus Gnosticis) *ματαιότητος* ac stultitiæ
 Judaicæ *βάθος* inciderunt.

9. 3°. Ex iis, quæ diximus de Judaicis dogmati-
 bus, causam porro conjicere licet, cur apostolus jus-
 titiam illam legis, contra quam disputat, non con-

^q Vid. lib. I. c. 1. ejusdem libri cap. 20. et Feuarentii notas
 in utrumque locum.

tentus simpliciter rejicere, tam contemptuosis in-super epithetis prosequatur. Cum enim Phil. iii. privilegia illa, quæ adhuc in Pharisaismo versatus summo habuit in pretio, commemorasset, (in quibus maximum illud erat, quod secundum legis justitiam ἀμεμπτος fuerit,) mox addit ver. 8. se, Christo jam cognito, omnia ista existimasse non tantum ζημίαν εἶναι, *detrimentum* esse, sed et σκύβαλα, *retrimentum* sive stercora; videtur enim σκύβαλον dici, quasi κυσίβαλον, ut significet illud, quod ex intestinis animantium canibus projicitur; vox certe res viles ac sordidas significat. Cui autem verosimile fiet, apostolum de vera legis justitia tam contumeliose loqui voluisse? sed nimirum de justitia illa humana, negativa, externa et hypocritica, dimidiata, frivola loquitur, quam ex institutione Pharisæica didicerat; quam quidem ipsi jam fide illuminato, vilescere, sordescere, ac stercoris instar fœtere, nemo mirabitur, qui ea, quæ modo diximus de justitia Judaica, expenderit.

10. 4°. Postremo, ex hac dogmatum Judaicorum descriptione clare elucet scopus apostoli in universa ipsius contra Judæos disputatione. Nimirum totus in eo est, ut miseri homines in peccato revera hærentes, at in larvata quadam justitia secure, et, quod dici solet, in utramque aurem dormientes, tandem expergefierent; et miseriam suam agnoscentes, ac pro certo statuentes, verum esse illud, quod Dominus noster iis dixerat, scilicet, *Nisi justitia ipsorum longe major esset illa, quam docuerunt Scribæ et Pharisei, eos nequaquam in regnum cœlorum ingressuros*, Matt. v. 20. ad Christum mediatorem supplicum more confugerent, tum maximorum peccatorum, quorum adhuc rei tenebantur, veniam ab ipso cou-

secuturi, tum gratiam Spiritus et evangelii ipsius impetraturi, qua a peccati dominio liberati ad veram illam ac spiritualem justitiam, sine qua Deo ad salutem nemo gratus esse possit, pervenirent. Verbo dicam, Judæos non arcet apostolus a vera operum justitia, sed a falsa et fucata retrahit, ut ad veram perduceret.

CAP. XVIII.

109

Epilogus, brevem exhibens totius operis ἀνακεφαλαίωσιν, nec non serium lectori monitum, ut a quadruplici errore in hac de justificatione controversia sedulo sibi caveat.

1. AD umbilicum usque suscepti operis σὺν Θεῷ tandem pervenimus. Tempus est, τὴν κορωνίδα ἐπιτιθέναι, et manum de tabula tollere. Hæc sunt, quæ de conciliatione inter apostolos Jacobum et Paulum dicenda habui, non pro rei atque argumenti merito, sed quantum per ingenii, temporis, otii nostri angustias licitum erat.

2. Summa hæc est: Rejicit a justificatione apostolus Paulus opera, 1. ritualia, quæ lex ceremonialis præscripsit; 2. moralia, quæ nativis hominum viribus in statu sive legis sive meræ naturæ fiunt, ante et citra gratiam evangelii; 3. Judaica, sive futilem illam justitiam, quam docuerunt Judæorum magistri; 4. denique universa a Christo Mediatore divulsa, quæque sua vi vel citra respectum ad fœdus gratiæ, Christi sanguine stabilitum, salutem sempiternam assequerentur. Neque ex hujusmodi operibus ulla adstruit Jacobus, ut ex tota ejus Epistola manifestum est. E contra opera moralia, ex gratia evangelii profecta, vi fœderis evangelici ad æternam ho-

minis justificationem ac salutem efficaciter valere, atque omnino esse necessaria, non tantum non negat Paulus, sed et in eo fere totus est, ut evincat. Atque hoc unum illud est, quod contendit Jacobus.

3. Propositum etiam mihi erat, ad calcem hujus operis schema totius de justificatione doctrinæ, ad mentem utriusque apostoli concinnatum, lectori exhibere. Sed in præsentī saltem labore isto superse- dendum duxi, tum ne longius excurreret oratio, tum imprimis quod ea in hisce dissertationibus sparsim diximus, quæ prudenti ac sedulo lectori sufficere possint. Tantum lectorem serio velim admonitum, ut a quadruplici errore in hac de justificatione maximi momenti controversia sedulo sibi caveat.

4. 1^o. Aure atque animo abhorreat ab isto pontificiorum quorundam (quorundam, inquam, quia quosdam aliter sentire ingenue fatendum est) perniciosissimo errore, qui bonis justorum operibus ex condigno, hoc est, propter intrinsecam eorum bonitatem ac dignitatem, præmium cæleste deberi, asserere non verentur. Certe enim qui ejusmodi operum meritum adstruunt, Christianorum nomen haud sunt meriti; ac fidenter pronuntiare ausim, vix ac ne vix quidem gratiam Christi sensisse aut novisse, qui horrendam istam opinionem animo penitus imbiberunt. Animi modestia est ipsissimus Christianismi animus; quo quisquis careat, Christiani cadaver est, non verus vivusque Christianus. Quid autem ab hac modestia longius abhorret, quam superba ista meriti præsumptio? equidem si quid tale meritum esset, eorum esset, qui de meritis suis nihil vel dicunt, vel cogitant; quique, ut Cyprianus loquitur^r, “ in ecclesia semper gloriose et granditer operati sunt, et

^r Epist. ad Lapsos. [Ep. 27. p. 38.]

“opus suum nunquam Domino imputaverunt^s.” Huic etiam sententiæ manifeste reclamatur scopus atque institutum apostoli Pauli in suis de justificatione disputationibus; quippe qui totus fere in eo sit, ut meritum omne humanum destruat, omnemque gloriæ ansam superbis istis operum suorum institoribus præscindat. Quod enim hic excipiunt meritorum patroni, apostolum operibus tantum sine gratia factis meritum detrahere, insulsum nimis commentum est. Etenim sole meridiano clarius est, apostolum ideo operibus sine gratia factis justificationem ac salutem detrahere, quod ex iis admissis meritum quoddam sequi videretur, aliquamque gloriæ ansam arripere homines sibi potuissent: e contra idcirco 110 operibus ex gratia profectis justificationem ac salutem concedere, quod hac ratione meritum omne humanum evanescat, omnis gloriandi materia in homine ipso sublata sit, totaque salutis nostræ gloria et honos in Deum redundet autorem: ut quo argumento sophistæ nostri condignitatem operum stabiliunt, eodem Paulus eorundem meritum evertat, quod scil. ex gratia trahant originem.

5. Caveat itaque quisquis salutis suæ consultum velit ab imputatrice ista superbia; neque Deum optimum maximum ad calculos vocet, tanquam sibi ulla-tenus debitorem. Meminerit jus illud, quod habent bona justorum opera ad vitam æternam, in pacto ac promisso evangelico unice fundari; pacti autem illius et promissi fontem esse meram ac miram Dei Patris per Jesum Filium suum misericordiam. Quod eleganter, ut solet, exprimit Bernardus in ista apostoli

^s *Imputare*, in Latino sermone, cum ad benefacta refertur, non est *acceptum* sed *expensum ferre*. Vide Grot. in Annot. ad Luc. xvii. 7.

verba, 2 Tim. iv. 8. *Quod reliquum est, reposita est mihi justitiæ corona, &c.* “Est,” inquit, “quam Paulus expectat, corona justitiæ; sed justitiæ Dei, non suæ: justum quippe est, ut reddat, quod debet; debet autem, quod pollicitus est.” Addas, Pollicitus autem est, quod voluit, ex suo nempe per Jesum Christum beneplacito. Augustini illud notum est in Psalm. cix.¹ “Fidelis Deus, qui se nostrum debitorem fecit, non aliquid a nobis accipiendo, sed tanta nobis promittendo;” ut et illud Fulgentii in Prolog. lib. ad Monimum²; “Seipsum sua largitate dignatus est facere debitorem;” quamquam et hæc locutiones ab improprietate vix excusari possunt; ideoque Thomas aliique scholastici dicere maluerunt, Deum promissis non debitorem effici nobis, sed sibi, h. e. decreto voluntatis suæ, quatenus, ut promissis stet, ejus convenit veritati.

6. Ab hoc potissimum errore, de merito bonorum operum in justificationis negotio, cavere voluit filios suos sancta mater, Ecclesia Anglicana, in articulo suo undecimo, cujus hæc sunt verba: “Justi reputamur in conspectu Dei propter merita tantum Domini ac Servatoris nostri Jesu Christi per fidem, non propter opera vel merita nostra. Quare sola fide nos justificari, doctrina est saluberrima et consolationis plenissima, ut in Homilia de Justificatione hominis fusius explicatur.” Verba diserta sunt: “propter merita tantum Domini nostri, &c. non propter opera vel merita nostra.” Additur quidem, “per fidem;” propterea quod ad hominis justificationem necessaria imprimis sit fiducia de meritis Jesu Christi, cum meritorum nostrorum perfecta abrenuntiatione conjuncta: quippe sine ista animi

¹ [§. 1. vol. IV. p. 1228.]

² [P. 2.]

debita modestia fieri omnino non potest, ut opera nostra, quantiviseunque alias pretii sint, Deo ad salutem placeant. Hoc illud ipsum est, quod etiam Augustani (quorum Confessionem, utpote omnium reformatarum nobilissimam atque antiquissimam, ita tum hic, tum alibi, secuti sunt ecclesiæ nostræ proceres; ut qui istam ignorat, is articulorum nostrorum mentem ac sententiam vix recte percepturus sit) in articulo vicesimo *de fide* voluerunt. Ubi pœnitentiam (quæ opera omnia justificationem hominis præcedentia complectitur) ad justificationem omnino esse necessariam agnoscunt, et nihilominus fide nos justificari asserunt; hoc nimirum sensu, quod nulla prorsus sit contritionis seu pœnitentiæ nostræ condignitas ad promerendam justificationis gratiam, quodque propter Christum solum donetur nobis remissio peccatorum, quod denique omnes Christiani, qui justificari volunt, hac de re debeant esse persuasissimi. Verba sunt: “Quanquam contritio aliqua
 “ seu pœnitentia necessaria est, tamen sentiendum
 “ est, donari nobis remissionem peccatorum, et fieri
 “ nos ex injustis justos, id est, reconciliatos seu ac-
 “ ceptos et filios Dei, gratis, propter Christum, non
 “ propter dignitatem contritionis aut aliorum operum
 “ præcedentium aut sequentium. Sed fide hoc bene-
 “ ficium accipiendum est, qua credere nos oportet,
 “ quod propter Christum nobis donentur remissio
 “ peccatorum et justificatio. Hæc sententia firmam
 “ consolationem perterrefactis mentibus affert.” Quis non agnoscit, hæc Augustanæ Confessionis postrema verba undecimi nostri articuli verbis plane gemina esse? Eadem dicunt Augustani et in 4to articulo his verbis: “Cum evangelium arguit peccata nostra,
 “ corda perterrefacta statuere debent, quod gratis

“ nobis propter Christum donentur remissio peccato-
 “ rum, et justificatio per fidem, qua credere et confi-
 “ teri debemus, hæc nobis donari propter Christum,
 “ qui pro nobis factus est hostia, et placavit Patrem.
 “ Quanquam igitur evangelium requirit pœniten-
 “ tiam, tamen ut remissio peccatorum certa sit, do-
 “ cet eam gratis donari, hoc est, non pendere ex
 “ conditione dignitatis nostræ, nec dari propter ulla
 “ præcedentia opera, aut dignitatem sequentium.
 “ Fieret enim incerta remissio, si ita sentiendum
 “ esset, tum demum nobis contingere remissionem
 “ peccatorum, postquam eam præcedentibus operi-
 “ bus meriti essemus, aut satis digna esset pœni-
 “ tentia.” Ubi obiter et illud diligenter observan-
 111 dum est, Augustanos theologos, cum toties urgent
 fidem, qua credimus nobis gratis donari remissio-
 nem, &c. non hoc voluisse, unumquemque debere
 credere, sibi in particulari peccata esse remissa, et
 hanc solam esse fidem justificantem; (quemadmo-
 dum non pauci ex iis, qui Augustanam se Confessio-
 nem sequi profitentur, mentem eorum perperam ac-
 ceperunt;) sed id tantum voluisse significare, nobis,
 quandocunque justificamur, remissionem contingere
 gratis, non ex merito operum nostrorum; et hoc ab
 omnibus justificandis creditu necessarium esse. Verba
 clara sunt: “ Credere et profiteri debemus, hæc no-
 “ bis donari propter Christum,” &c. Hanc autem
 esse ipsissimam ecclesiæ etiam nostræ in articulo
 suo 11^o. mentem ac sententiam, siquis adhuc vel
 omnino neget, vel saltem de eo dubitet, en! testem
 exhibebo omni exceptione majorem, ipsam nempe ec-
 clesiam, articulum istum ex professo ac verbis diser-
 tissimis ita explicantem part. II. Homil. de Salute^t:

^t Tom. I. p. 16.

“ Effatum hoc, *Justificari nos fide tantum, gratis,*
 “ *absque operibus,* dicitur in eum finem, ut tollatur
 “ prorsus meritum omne operum nostrorum, quippe
 “ quæ nullatenus possint justificationem nostram a
 “ Deo mereri; utque iis verbis planissime exprima-
 “ tur infirmitas hominis, Deique bonitas, maxima
 “ nostri ipsorum imbecillitas, Deique vis ac potentia,
 “ imperfectio operum nostrorum, Christique Serva-
 “ toris nostri gratia exuberantissima, itaque meritum
 “ justificationis nostræ Christo soli ac pretiosissimæ
 “ sanguinis ipsius effusioni in solidum deferatur.”
 Clarius adhuc mentem suam exprimit ecclesia nostra
 in eadem Homil. paulo post ^u: “ Vera intelligentia
 “ hujus doctrinæ, *justificari nos gratis ex fide, absque*
 “ *operibus,* vel, *justificari nos ex sola fide in Chri-*
 “ *stum,* non est, hunc autem nostrum, quo in Christum
 “ credimus, sive hanc fidem in Christum, quæ in
 “ nobis est, nos justificare, nobisve justificationem
 “ nostram mereri; (id nimirum idem esset, ac si
 “ affirmaremus, justificari nos actu aliquo, seu vir-
 “ tute, quæ in nobis ipsis est;) verum recta intelli-
 “ gentia ac sensus hujus doctrinæ hic est: quod,
 “ etiamsi verbum divinum auscultemus, eique fidem
 “ habeamus; quanquam præsto in nobis sint fides,
 “ spes, charitas, reverentia ac timor Dei, iisque
 “ adjiciamus opera quantacunque, merito tamen om-
 “ nium harum virtutum, fidei, spei, &c. omniumque
 “ bonorum operum, quæ vel fecimus, vel in poste-
 “ rum faciemus, vel facere possimus, renuntiandum
 “ nobis sit, ut quæ longe imbecilliora atque imper-
 “ fectiora sint, quam ut remissionem peccatorum
 “ nostrorum, sive justificationem nostram mereantur:

^u Pag. 17.

“ ideoque fidendum nobis sit soli Dei misericordiæ
 “ ac sacrificio illi, quod semel pro nobis in cruce
 “ obtulit summus Sacerdos noster ac Servator Jesus
 “ Christus, Dei Filius, ut eo ipso (sacrificio) obtine-
 “ amus gratiam Dei ac remissionem peccati nostri,
 “ tum originalis in baptismo, tum omnium actua-
 “ lium peccatorum, a nobis post baptismum commis-
 “ sorum, si modo per veram atque infucatam pœni-
 “ tentiam ad ipsum revertamur.” Quid manifestius
 dici potuisset? ecclesia enim nostra hic palam pro-
 fitetur, se doctrina illa sua, “ Justificari nos ex fide
 “ sola,” non illud voluisse, vel fidem solam sine
 operibus ad justificationem sufficere, vel fidei præ-
 cæteris virtutibus ullam in justificationis negotio effi-
 caciam vel dignitatem tribuendam esse; sed hanc
 ipsius mentem esse; quod ad meritoriam justifica-
 tionis nostræ causam attinet, tum fidei, tum cæteris
 quibuscunque virtutibus, sive operibus, oportere nos
 nuntium remittere, ac soli divinæ misericordiæ ac
 meritis Servatoris nostri confidere. Imo ita bonorum
 operum meritum negat, ut interea eorundem neces-
 sitatem, ad justificationem impetrandam, satis aperte
 fateatur, agnoscens, veram atque infucatam pœniten-
 tiam remissionis obtinendæ conditionem esse prorsus
 necessariam. His autem plane gemina habent Au-
 gustani, art. 20. de Fide; “ Cum igitur dicimus, *fide*
 “ *justificamur*, non hoc intelligimus, quod justi simus
 “ propter ipsius virtutis dignitatem; sed hæc est sen-
 “ tentia, consequi nos remissionem peccatorum et
 “ imputationem justitiæ per misericordiam propter
 “ Christum.” Et paulo post in eodem articulo:
 “ Paulus vero, cum inquit, *fides reputatur ad jus-*
 “ *titiam*, &c. loquitur de fiducia misericordiæ pro-
 “ missæ propter Christum; estque sententia, ho-

“ mines justos pronuntiari, id est, reconciliari, per
 “ misericordiam, non propter dignitatem propriam.
 “ Sed hanc misericordiam, promissam propter Chri-
 “ stum, oportet fide accipi. Jam bonas mentes nihil
 “ offendet novitas hujus Paulinæ figuræ, *fide justifi-*
 “ *camur* ; si intelligant proprie de misericordia dici,
 “ eamque veris et necessariis laudibus ornari,” &c.
 Vides in quem scopum Augustani in sua ista doc-
 trina, “ Gratis ex fide sola justificamur,” collima-
 rint; nempe ut condignitas operum nostrorum de-
 primeretur, ac Dei misericordia Christique meritum
 meritis suis laudibus ornarentur. Quin et diserte
 profitentur, locutionem Paulinam, *fide justificamur*,
 non propriam, sed figuratam esse. Similiter ec-
 clesia nostra Homil. de Salute part. III^x. “ Verum
 “ quidem est, opera nostra nequaquam nos justifi-
 “ care, si de justificatione proprie loquimur, hoc 112
 “ est, non mereri remissionem peccatorum nostro-
 “ rum, neque ex injustis nos justos facere in con-
 “ spectu Dei; sed Deum ex infinita ipsius miseri-
 “ cordia per meritum tantum Filii sui Jesu Christi
 “ nos justificare. Nihilominus quia fides recta via
 “ nos ad Christum remittat, ad veniam peccatorum
 “ consequendam nostrorum, cumque per fidem, a
 “ Deo nobis datam, promissum misericordiæ divinæ
 “ remissionisque peccatorum nostrorum amplectamur,
 “ (quod nulla alia ex virtutibus nostris sive operibus
 “ proprie facit.) ideo dicere solet Scriptura, *fidem*
 “ *absque operibus justificare.*” Ex quibus verbis
 clare elucet, quid summum illud sit, quod in negotio
 justificationis ex ecclesiæ nostræ sententia fidei dis-
 tincte tribuendum sit; nempe quod, licet cæteræ

^x P. 18, 19.

virtutes non minus necessariae sint ad hominis justificationem quam ipsa fides, ac fides proprie nihilo plus agat in isto negotio, quam alia virtus; quia tamen ex omnibus virtutibus fides una promissum amplectitur evangelicum, quo justificamur^y, ideo non incommoda locutione ipsi soli justificatio nostra tribui possit ac soleat; viz. per metonymiam quandam, qua actus ponitur pro objecto circa quod versatur. Vidit hoc, adeoque istam Confessionis Augustanae doctrinam suo calculo comprobavit ipse Cassander, qui in sua ad praedictum articulum consultatione haec adnotavit^z: “ Quod autem protestantes passim urgent, sola nos fide justificari, tolerabilius est, cum interpretantur se in *fidei* nomine gratiam, quae ei ex adverso respondet, intelligere; ut idem sit, sola fide justificari, quod sola gratia, non ex operibus” (h. e. non ex merito operum) “ justificari.” Equidem hoc illud est, quod voluerunt protestantes omnes saniores. Sic Confessio Wurtembergica in articulo de Justificatione^a; “ Credimus et confitemur, quod ad faciendam et exercendam justitiam Deo gratiam *necessariae sint* haec virtutes, fides, spes et charitas, et quod homo has virtutes non ex se concipere possit, sed accipiat ex favore et gratia Dei, quodque fides operetur per dilectionem. Sed sentimus, a vere apostolica et catholica doctrina longissime abhorrere eorum sententiam, qui docent, hominem fieri Deo acceptum *et reputari coram Deo justum propter has virtutes*, ac in iudicio Dei meritis harum virtutum confidendum esse. Homo enim fit Deo acceptus,

^y Vid. quae a nobis dicta sunt hujus Dissert. V. 5. [p. 110.]

^z P. 18, 19. ex edit. Grotii.

^a Syntag. Confess. p. 144.

“ et reputatur coram eo justus, propter solum Filium
“ Dei Dominum nostrum Jesum Christum per fidem ;
“ *et in judicio Dei non est ullo earum virtutum,*
“ *quas nos habemus, merito, sed solo merito Domini*
“ *nostri Jesu Christi, quod fit nostrum per fidem,*
“ *confidendum. Et quia coram tribunali Dei, ubi*
“ *de vera et æterna justitia ac salute agitur, nullus*
“ *plane locus est meritis hominum, sed tantum mi-*
“ *sericordiæ Dei, et meritis solius Domini nostri*
“ *Jesu Christi, qui fide a nobis accipitur ; ideo*
“ *sentimus, veteres ac majores nostros recte divisisse,*
“ *Nos coram Deo sola fide justificari.”* Sic etiam
luculentissime collocutores Confessionis Augustanæ
in colloquio Ratisbonensi altero^b ; “ Superest, quod
“ voce (sola) utimur, ac dicimus homines sola fide
“ justificari. Id enim calumniantur quidam, ac si
“ intelligeremus inanem quandam de Christiana reli-
“ gione opinionem ad salutem hominis sufficere, sine
“ omni hominis ad placita Dei regeneratione, sine
“ pœnitentia, et sine studio bonorum operum, et
“ quasi per hanc vocem (sola) excluderemus a fide
“ spem et charitatem. At nos, cum prædicamus
“ fidem justificantem, simul quæ illa sit explicamus,
“ et clare testamur, quod ea fides in Christum vera
“ non sit, cui desint pœnitentia peccatorum, spes, et
“ charitas, et studium bonorum operum. Cumque
“ dicimus cum S. Patribus, nos sola fide justificari,
“ declaramus id idem pollere, atque apostoli verbis
“ dicere, Justificari nos gratis et sine operibus: *Ut*
“ *hæc vox (sola) excludat bona opera, et alias vir-*
“ *tutes, non ab homine justificato, sed a vi merendi*
“ *remissionem peccatorum et vitam æternam ; ut*

^b Pag. 69.

“dicere, nos justificari fide sola, aliud non sit, quam
 “justificari nos nullis nostris, sed solis Christi me-
 “ritis, quæ donata nobis fide apprehendimus. Et
 “quia hic germanus usus est hujus vocis, et vetus
 “ecclesia eadem voce ad ædificationem fidei usa
 “est, non est nostrum, eam concedere iis, qui gra-
 “tiæ Dei per laudem humanorum operum detra-
 “here conantur. Sicut nec S. Patres olim cedere
 “voluerunt vocem ὁμοούσιον Arianis, cum videbant
 “id aliquam impietatis illorum commendationem et
 “veritatis obscurationem allaturum. *Ecclesia enim*
 “*Christi, ut rerum, ita et verborum domina est*
 “hactenus, ut ad ædificationem fidei in Christum
 “omnibus et rebus et verbis utatur.” Eadem dicunt
 iidem collocutores in respons. ad replicat. 21. col-
 locutorum alterius partis. Dixerant collocutores
 pontificii^e: “Vocem (sola) vos ipsi, et præstantiores
 “vestri ordinis viri judicastis scandalosam, ac proinde
 “omittendam: cur igitur hanc non et modo et per-
 “petuo condonatis paci publicæ et ædificationi?
 “Christiani certe hominis est omne scandalum vi-
 “tare, quoad omnino possit. Jam hæc vox (sola) est
 “magnæ offensionis multis hominibus, nec est in
 113 “Scripturis tradita; quamobrem omitti potest sine
 “ullo doctrinæ salutaris detrimento. Est igitur offi-
 “cii vestri, eam missam facere.” Quibus, postquam
 nonnulla præmiserant in explicationem et defensionem
 istius vocis, respondent collocutores nostræ par-
 tis: “*Nihilominus si qui pii homines ista voce*
 “*offenderentur, qui rem ipsam admitterent, nos sci-*
 “*licet justificari sola Dei gratia et Christi merito,*
 “*nulla nostra virtute, nulloque nostro merito, his*

“ voce ista nolumus esse molesti aut offendiculo, qua
 “ alias perraro utimur, sicut nec in confessione no-
 “ stra posita est. *Atqui eam propterea abjicere,*
 “ *usumque ejus damnare, id ut fas esse non potest,*
 “ *ita requirere id a nobis nemo debet.* Omnium
 “ autem minime iis hanc vocem concedere licet, qui
 “ ex ea concessione contentur hominibus eum confir-
 “ mare errorem, quo non est alius nocentior, Justi-
 “ ficationem non constare nobis sola Dei gratia, et
 “ solo Christi merito, verum etiam aliqua ex parte
 “ nostris virtutibus et operibus; justificationem in-
 “ quam vitæ, et fiduciam salutis æternæ. *Nec vox*
 “ *illa ὁμοούσιον est in Scripturis his elementis ex-*
 “ *pressa, tamen quia id,”* &c. Similiter eandem
 doctrinam explicat Repetitio Augustanæ Confessio-
 nis, scripta anno Domini MDLII. ut exhiberetur
 synodo Tridentinæ; atque edita primum nomine
 Confessionis Doctrinæ Ecclesiarum Saxonicarum; ge-
 nerali denique ecclesiarum atque academiæ, quæ
 Augustanam Confessionem secutæ sunt, suffragio
 confirmata; quæ in loco de remissione peccatorum
 et justificatione sic docet^d: “ Itaque et correlative
 “ intelligenda est hæc oratio, *fide justificamur*, hoc
 “ est, fiducia Filii Dei justificamur, non propter no-
 “ stram qualitatem, sed quia ipse est propitiator, in
 “ quo cor acquiescit,” &c. Et mox: “ Hic et de par-
 “ ticula exclusiva dicendum est; toties repetit Pau-
 “ lus vocabulum *grátis*, qua voce certissimum est
 “ excludi conditionem meritorum nostrorum. Ideo
 “ in ecclesiis nostris dicitur, *fide sola justificamur*;
 “ quod sic intelligimus et declaramus: *gratis*, pro-
 “ pter solum Mediatorem, non propter nostram

^d Corpus Theolog. p. 244. et Syntagm. Confession. p. 81.

“ contritionem seu alia nostra merita, donamur remis-
 “ sione peccatorum et reconciliatione. Etsi enim
 “ contritio antecedit consolationem, et dilectio Dei,
 “ et aliæ virtutes multæ cum fide, seu hac fiducia,
 “ simul accenduntur; tamen hæ virtutes non sunt
 “ causa seu meritum remissionis peccatorum, nec
 “ propter eas persona placet,” &c. Sic denique ipse
 Melancthon in loc. præcipuis theolog. de vocabulo
fidei^e: “ Quare cum dicitur, *fide justificamur*, non
 “ aliud dicitur, quam quod propter Filium Dei acci-
 “ piamus remissionem peccatorum, et reputemur
 “ justi: et quia oportet apprehendi hoc beneficium,
 “ dicitur fide, id est, fiducia misericordiæ promissæ
 “ propter Christum. Intelligatur ergo propositio cor-
 “ relative, *fide sumus justi*; id est, per misericor-
 “ diam propter Filium Dei sumus justi seu accepti.
 “ Nota enim est natura relativorum nominum. Et
 “ ut amor, timor, et alia quædam affectuum nomina
 “ sunt relativa secundum dici; ita et fiducia. Nec
 “ insulas reprehensiones indoctorum hic pertimesco.
 “ Et quod obijciunt quidam, huic fiduciæ adjunctam
 “ esse dilectionem, non repugno. Sed cum dicimus,
 “ *fide justificamur*, monstramus Filium Dei seden-
 “ tem ad dextram Patris, interpellantem pro nobis:
 “ propter hunc dicimus nobis donari reconciliatio-
 “ nem, detrahimus meritum reconciliationis nostris
 “ virtutibus, quæcunque adsunt.” Et tamen postea
 suo loco dicitur, dilectionem et alias virtutes in re-
 natis existere oportere. “ Ac in summa, cum accusa-
 “ mur in hoc dogmate, quod dicimus, *fide justificari*
 “ *hominem*, tantum ideo accusamur, quod dicimus,
 “ nos propter Filium Dei accipere reconciliationem,

^e Corpus Theolog. p. 424. [vol. I. p. 199. Op. ed. 1562.]

“ non propter nostram dignitatem, et quod hoc cre-
 “ dendum sit, seu quod hac fide vel fiducia appre-
 “ hendendum sit beneficium, et opponendum meri-
 “ tum Christi peccato nostro, et damnationi nostræ,
 “ et quod in hac fide, seu fiducia, intuente Filium Dei,
 “ Deus invocandus sit.” Has autem sententias esse
 ipsam evangelii vocem, et perpetuum veræ ecclesiæ
 consensum, certissimum est. Idem in eodem libro de
 fide agens, quatenus ea pars est pœnitentiæ^f: “ Con-
 “ tritio sine fide est horribilis pavor et dolor animi
 “ fugientis Deum, ut in Saule. Juda. Quare non est
 “ bonum opus. Sed contritio cum fide pavor et do-
 “ lor est animi non fugientis Deum, sed agnoscentis
 “ justam iram Dei, et vere dolentis, quod neglexerit
 “ aut contempserit Deum, et accedentis tamen ad
 “ Deum, et petentis veniam. Talis dolor fit bonum
 “ opus et sacrificium, ut loquitur Psalmus^g: *Sacri-*
 “ *ficium Deo spiritus contribulatus; cor contritum*
 “ *et humiliatum, Deus, non despicies.* Et tamen
 “ necesse est taxari et abjici opinionem, quæ fluxit,
 “ homines contritione mereri remissionem peccato-
 “ rum, seu dari remissionem propter dignitatem con-
 “ tritionis. Sed retinenda est vox evangelii, quæ cla-
 “ mat, Gratis remitti peccata propter Filium Dei.
 “ Hæc exclusiva retinenda est, ut Christo debitus
 “ honos tribuatur; item ut mentes perterrefactæ
 “ teneant certam consolationem. Nam adigerentur
 “ ad desperationem, si sentire deberent, se non habere 114
 “ remissionem, nisi dolor satis dignus et sufficiens
 “ esset. Hæc simplex sententia multos labyrinthos
 “ disputationum tollit.”

Ex his autem testimoniis sole meridiano clarius

^f Corpus Theolog. p. 536. [vol. I. p. 247.]

^g Ps. li. 17.

est, quam perperam omnino veterum protestantium doctrinam, de justificatione ex sola fide, acceperint plerique sequioris ævi protestantes, qui eos fidei præ cæteris virtutibus proprie dictam instrumentalitatem in negotio justificationis tribuisse existimarint. Merum hoc est somnium. Nam ex ipsorum doctrina, jam fusius a nobis explicata, liquido liquet, nihil illos proprie dictæ efficaciam, adeoque nec instrumentalitatis, fidei præ cæteris virtutibus, quod ad officium justificandi attinet, adscripsisse; sed id tantum voluisse, fidem ex omnibus virtutibus unam respectum connotare ad gratuitam Dei misericordiam, per Christum promissam, quæ primaria justificationis nostræ causa est, ideoque figurata quidem, sed non incommoda locutione dici posse, Nos sola fide justificari; eam denique locutionem omnino retinendam esse, propterea quod accommodatissima ea sit ad exprimendam gratiam et misericordiam illam Dei per Christum, qua justificamur, adeoque ad omnia hominum merita a negotio justificationis prorsus summovenda. Quod Anglicanæ ecclesiæ Patres optime exprimunt, Homil. de Salute, part. III.^b “ Hanc “ loquendi formulam usurpamus, submissuri nosmet “ ipsos coram Deo, omnemque gloriam Christo Servatori nostro, qui solus ea dignus est, delaturi.” Certe ecclesia nostra (utcumque mentem ipsius Rogersius et alii audaculi articulorum nostrorum, adeoque multis in locis infelicissimi interpretes aliter acceperint) istam fidei instrumentalitatem apertissimis verbis negavit, Homil. de Salute, part. II.ⁱ sic enim ibidem loquitur: “ Justificatio non hominis officium, “ sed Dei est,” &c.: et mox; “ Justificatio Dei solius

^b Pag. 19.ⁱ Pag. 17.

“ officium est, quod nos illi non reddimus, sed ab eo
 “ accipimus,” &c. Indeque statim expresse concludit,
 quod ad actum atque officium ipsum justificandi atti-
 net, nihilo plus fidei, quam cæteris virtutibus tri-
 buendum esse; quemadmodum ex ipsis verbis ibidem
 sequentibus, jamque a nobis superius allegatis, mani-
 festum est. Ac sane consequentia sole clarior est: si
 enim justificatio Dei solius actus atque officium sit,
 certissimum est, neque fidem, neque aliud quicquam
 nostri in justificationis negotio proprie dicti instru-
 menti vicem supplere posse; cum omne instrumen-
 tum ejusmodi, qua tale, cum causa efficiente princi-
 pali necessario concurrat; quemadmodum alicubi in
 Dissertationibus nostris ^kjam adnotavimus.

Summam rei paucis complectar: Cum veteres pro-
 testantes docuerunt, sola nos fide justificari, illud non
 ita intellexerunt, quasi per eam fidem excludendæ
 essent cæteræ virtutes, cæteraque bona opera, tan-
 quam ad justificationem obtinendam nullo modo ne-
 cessaria, aut quasi fides plus aliquid ageret in ipso
 justificationis negotio, quam cæteræ virtutes; sed
 propositionem istam eatenus tantum ut veram recipi
 voluerunt, quatenus vox *fidei* denotat talem obedien-
 tiam, quæ cum fiducia de meritis Jesu Christi, ac
 meritorum nostrorum perfecta abrenuntiatione, con-
 juncta est; quæque adeo ea opera omnia excludit,
 quæ cum fiducia et opinione meriti nostri fiunt ^l. Hoc
 est, quod voluit Melanchthon in Apologia Confessio-
 nis Augustanæ ad quæstionem, Quid sit fides justi-
 ficans ^m? “ Facile potest cerni discrimen inter fidem
 “ et inter justitiam legis. Fides est *λατρεία*, quæ

^k Dissert. Prior. II. 9. [p. 25.] GRABE.

^l Vide Dissert. Post. V. 5. [p. 110.]

^m Pag. 92. [vol. I. p. 64.]

“ accipit a Deo oblata beneficia ; justitia legis est λα-
 “ *τρεία*, quæ offert Deo nostra merita. Fide sic vult
 “ coli Deus, ut ab ipso accipiamus ea, quæ promittit
 “ et offert.” Quod luculenter explicavit eruditissimus
 Ludovicus Crocius in Syntagm. IV. 7.ⁿ “ Fides etiam
 “ sola justificat, quatenus notat obedientiam quan-
 “ dam, expectantem promissionem, ut donum gra-
 “ tuitum, quomodo formaliter quidem consistit in
 “ applicatione promissionis ; quam tamen et præce-
 “ dunt dispositiones aliquæ ad hunc ipsum fidei
 “ actum, et sequuntur fructus : unde plures virtutes
 “ vel actus cum antecedentes tum consequentes con-
 “ notat, et opponitur illi obedientiæ, quæ non ex-
 “ pectat promissionem tanquam donum omnino gra-
 “ tuitum, sed ut mercedem propositam sub con-
 “ ditione operis alicujus, præter acceptationem et
 “ gratitudinem debitam, quæ sua natura in omni
 “ donatione, quamvis gratuita, requiri solet. Et hu-
 “ jusmodi obedientia peculiariter *opus* ab apostolo,
 “ et Latinis proprie *meritum* dicitur ; et qui hac
 “ conditione obediunt, *operantes* vocantur, Rom.
 “ iv. 4. Atque si ita hæc propositio exponatur, ea
 “ quidem opera quæ cum fide consistere nequeunt,
 “ id est, quæ fiunt cum fiducia et opinione meriti,
 “ prorsus excluduntur, ita ut non solum negentur
 “ justificare, sed et adesse tam in justificato, quam
 “ in justificando.” Hæc ille, quibus ne verbum qui-
 “ dem addendum duxi. Diligenter autem observan-
 “ dum est, quæ hactenus ecclesiæ nostræ attulimus
 115 testimonia, ea omnia ex Homilia de Justificatione
 sive Salute hominis desumpta esse ; ad quam quidem
 Homiliam, ut fusiorem articuli 11. explicationem inde

ⁿ Pag. 1223. vid. etiam Conrad. Bergii praxin. catholic. div.
 Can. Dissert. VII. p. 973. et 982—985.

petamus, ecclesia nostra, idque in eo ipso articulo, nos ex professo remittit. Quis jam restat dubitandi locus? de sensu articuli undecimi quæritur; ad Homiliam de Salute hominis eo ipso articulo remittimur: quid ibi ecclesia? iterum et sæpius profitetur, idque verbis disertissimis, se meritum solummodo bonorum operum in eodem articulo ire oppugnatum^o. Neque certe indignum est observatione nostra, e triginta novem articulis ecclesiæ Anglicanæ, triginta et octo nude et sine explicatione ulla proponi; hunc vero unum, de justificatione hominis, traditum esse non sine hac cautione expressa, ut fusior ac plenior ejusdem explicatio ex Homilia de Justificatione petenda sit. Nimirum magnopere solliciti erant Patres sanctissimi, ne quis, ejus articuli verbis superstitiose nimis inhærens, in periculosos ea sensus detorqueret: quod et hodie (prohi dolor!) a nimio multis factum esse vidimus. Adeoque mirum est, quam anxie, quam curiose in ea ipsa Homilia providerint viri optimi sapientissimique, ne doctrina sua, de justificatione ex sola fide, aliter a quoquam acciperetur, quam in eum sensum, quem modo explicavimus; nempe, ut per eam, præsumptione omni meritorum nostrorum penitus sublata, gratia Dei Christique Servatoris nostri merita suo honoris atque existimationis gradu, h. e. summo, placide fruerentur. Ac de merito bonorum operum hactenus.

7. 2^o. Prætervectus igitur istam pontificiorum Charybdin, Scyllam ex adverso positam remis velisque devitet Christianus lector. Errorem volo Antinomorum ac Solifidianorum, qui necessitatem bonorum operum ad æternam hominis justificationem ac

^o Vide imprimis Homil. de Salut. part. III. in ipso initio.

salutem omnino negant. De pessima ista hæresi illud imprimis observandum est, auctores ejus, dum operum necessitatem rejiciunt, ne meritum inducant, eo ipso meritum bonorum operum revera stabilire. Quorsum enim negant bona opera necessaria esse ad justificationem ac salutem? quia scilicet isthoc concesso, justificatio ac salus nostra esset *κατ' ὀφείλημα*, “ex debito,” non *κατὰ χάριν*, “ex pura puta Dei gratia.” Annon ex hac ipsorum ratiocinatione manifesto sequitur, bonis hominum operibus meritum quoddam semper inesse? hoc autem illud ipsum est quod contendunt pontificii. Sed illud obiter. Necessitas autem bonorum operum eodem fulcitur tibicine, quo valor eorundem atque efficacia. Nempe valent ad justificationem ac salutem ideo tantum, quod conditio sint, cui in evangelico fœdere, ex mera Dei gratia, justificatio ac salus promittitur. Atqui ob illam ipsam causam esse etiam necessaria merito concludimus; cum nemo ex pacto evangelico justificetur, aut salutem adipiscatur, qui ejus pacti conditionem non impleat. Res est; Deus infinita sua motus bonitate, ut nobis insigniter beneficeret, sed obstantibus peccatis, quæ pœnam merebantur, constituit, ut Christus, volens ex sua erga homines charitate, cruciatus gravissimos et mortem cruentam atque ignominiosam ferendo, pœnas penderet pro peccatis nostris, ut salva divinæ suæ justitiæ demonstratione beneficia sua hominibus communicaret eo modo, quo sapientiæ ipsius consultum videretur. Quo facto aperta est miseris peccatoribus cœli janua; oblata est peccatorum venia, vitaque æterna; neque oblata tantum, sed et constituto fœdere, optimis atque æquissimis conditionibus sancito, consignata: quod quidem fœdus evangelium vocatur. A toto hoc

negotio excludenda sunt non tantum opera nostra, sed et ipsa fides, adeoque omne quod nostrum est. Sed hæc a justificatione diversa sunt; ad satisfactionem ac salutis impetrationem omnino pertinent. Stabilito autem hoc fœdere, ut quis beneficiorum, quæ comprehendit, fiat particeps actu ac re ipsa, requiritur omnino, ut conditionem in eo præscriptam præstet; eaque præstita, (alias nequaquam,) ex pacto isto justificatur. Conditionem autem istam non tantum fidem, sed et pœnitentiam studiumque bonorum operum comprehendere, multis et testimoniis et rationibus evicimus. Non eum hic locum habet Christi meritum, quem multi perabsurde ac periculose admodum somniarunt. Non enim meruit Christus, neque in id justitia ejus nobis imputatur, ut a conditione fœderis evangelici (fide puta, pœnitentia, bonorum operum studio) ab ipso præscripta absolveremur; sed meruit, ut sub ista æquissima quidem conditione salutis fieremus participes: quin et meruit gratiam, qua conditionem eandem præstare valeamus. Maximopere esset optandum, ut hæc distinctio inter *impetrationem salutis*, ejusdemque per fœdus evangelicum *applicationem* (utcumque satis obvia videatur, tamen) a plerisque theologis rectius intelligeretur; quippe quæ probe intellecta multas magnasque in hac controversia lites facile diremptura esset.

8. Hæc quæ de absoluta bonorum operum necessitate disseruimus, certissima sunt; nihilominus et hic etiam cautione aliqua lectori Christiano opus erit, ut accurate distinguat inter justificationem primam ac secundam, adeoque inter bona opera, quæ ad hanc illanque necessario requiruntur. Atque hic 116 statuendum omnino est, ad primam justificationem

opera tantum interna fidei, pœnitentiæ, spei, charitatis, &c. esse absolute necessaria; cætera vero externa opera, quæ in factis externis, sive in actuali singularum virtutum, quas modo enumeravimus, exercitio conspiciuntur, signa tantum esse fructusque pietatis internæ, et justificatione posteriora, eaque demum lege præstanda, si non desit opportunitas. Hoc dubio procul illud est, quod voluit ecclesia nostra in articulo duodecimo, in quo dicit opera esse fructus fidei, et veluti signa quibus fides dignoscitur, quæque justificationem hominis consequuntur. Per *opera* enim hic intelligi omnino debent opera externa, sive actualis illa obedientia, quæ tractum seriemque factorum conspicuorum secum ferat. Illud certissimis argumentis demonstrari potest. Nam 1º. ecclesia disertis verbis docet, pœnitentiam, charitatem, timorem Dei, &c. cum fide illa, quæ justificationem præcedit, necessario et inseparabiliter atque omni temporis momento conjungi. Sic enim Homiliæ de Salute, part. II.^p veterum explicat sententiam, ex fide sola homines justificari statuentium: “ Nilominus hæc sententia, *justificari nos ex sola fide*, “ non ita ab iis intelligitur, quasi fides illa, qua justificamur, ullo temporis momento sola in homine “ esset, aut vera pœnitentia, spe, charitate, reverentia ac timore Dei destituta,” &c. 2º. Pœnitentiam speciatim ubique inculcat ecclesia nostra, ut dispositionem ad veniam peccatorum consequendam necessario prærequisitam. Sexcentis illud testimoniis demonstrare potuissem: sed minus honorifice de ecclesia nostra sentit, qui, utrum hæc sit ipsius doctrina, vel dubitare ausit. 3º. Opera, quæ duodeci-

mus ecclesiæ articulus justificatione posteriora esse affirmat, ejusdem generis procul dubio sunt cum iis, quæ verbis in eodem articulo immediate præcedentibus fructus fidei appellantur, quibusque fides exterius manifestari dicitur in fine articuli. Jam certo certius est, ecclesiam nostram per *opera*, quæ fidei fructus ac signa esse affirmat, intelligere opera tantum externa, quæ foras ab hominibus conspiciuntur, quæque fidei nostræ, h. e. internæ pietatis, (quæ alias Dei solius oculis subjecta est,) sinceritatem ita extrinsecus prodit, ut ea ab hominibus etiam quodammodo cognosci possit. Etenim quis sanus dixerit, per internas virtutes, contritionis, spei, charitatis, &c. tanquam per signa fidem ostendi? scilicet virtutes istæ non minus internæ sunt atque a conspectu hominum remotæ, quam est ipsa fides. Si dicas, ecclesiam hic loqui de notificatione fidei nostræ non coram aliis, sed nobis ipsis, res eodem redibit: nam et hoc esset ignotum per æque ignotum demonstrare, cum internæ istæ virtutes æque ac fides nostra nobis etiam ipsis ignotæ sint. Itaque sensus ecclesiæ manifestus est, nempe, veram et vivam fidem, h. e. quæ cum fiducia in Jesum Christum conjunctum habet sincerum obediendi propositum, (ita enim aliquoties se ex professo explicat ecclesia nostra Homiliæ de Fide part. I.) non nisi per facta tali fidei respondentia, tum nobis ipsis, tum aliis, demonstrari. Siquis tamen in tanta adhuc luce cœcuet, en! specillum ei porrigit ipsa ecclesia in secunda parte Homil. de Fide, quæ in hoc argumento tota versatur. Ibi, postquam in superiori Homilia docuisset, fidem vivam spem, charitatem, timorem Dei comprehendere, pergit deinceps ostendere, quomodo singulæ istæ virtutes internæ per facta externa,

earum naturæ respondentia, probari ac demonstrari debeant: inter alia dicit^q, “A Christo ipso multis in locis doceri, fidem, spem et charitatem, sine bonis piisque operibus stare ac consistere non posse;” atque in finer^r, “Non modo charitatem, sed et Dei timorem bonis operibus probari, juxta dictum Sapientis^s: *Reverentia Domini depellit peccata*; atque iterum: *Qui reveretur Dominum, facturum est opera bona.*” Quis jam dubitet, an per opera hæc intelligat ecclesia opera tantum externa? certe enim virtutes spei, charitatis, timoris divini, sunt ipsæ opera interna.

9. Quarto ac postremo, In hunc etiam sensum non obscure se explicat ecclesia nostra Homil. de Bonis Operibus part. I. prope finem, ubi hisce utitur Chrysostomi verbis e Sermone de Fid. et Leg. et Sp. S. “Sine operibus fidelem possum ostendere, et vita et regno donatum. Nemo sine fide vixit. At latro tantum credens justificatus est. Nec mihi dicas, tempus recte vivendi non habuit. Neque enim id est de quo disputo; sed hoc apertum feci, fidem etiam per se solam servare. Nam certe si supervixisset fidei, et bene operari neglexisset, excidisset a salute.” De externis tantum operibus, seu piis factis, loqui hic Chrysostomum, et ex eo ecclesiam nostram, cæcus est qui non videat. Nam, primo, de iis operibus hæc verba manifeste loquuntur, sine quibus fidelis ad regnum cœlestis vitæ æternam possit pervenire. Atqui sine virtutibus internis fidei, spei, charitatis, &c. neminem iri salvatum, apud omnes sanos in confesso est. Deinde, latro, una cum Salvatore nostro in cruce

^q Pag. 26.^r Pag. 27.^s Ecclus. i. 21. et xv. 1.

passus, in exemplum hic adducitur^t. Atqui certum est, latronem istum non modo fide, sed et pœnitentia peccatorum suorum, ac sincera adversus Christum sociumque suum charitate præditum 117 fuisse. Denique, de iis tantum hic agitur operibus, quæ fidelis tempore atque occasione interclusus exercere nonnunquam non possit. Sic Chrysostomi mentem explicat ecclesia verbis immediate sequentibus; “ Audivistis Chrysostomi sententiam, ex qua “ intelligere possitis, neque fidem esse sine operibus, “ (si modo adsit opportunitas,) neque opera sine fide “ ad vitam æternam prodesse.” Jam opera tantum externa sunt, quæ commodo tempore atque occasione indigent; internis virtutibus nullum tempus occurrit. Sic alibi se explicat ipse Chrysostomus ad Rom. ix. 10.^u *Ψυχῆς ἀρετὴν δεῖ ζητεῖν, ἣν καὶ πρὸ τῶν ἔργων ὁ Θεὸς οἶδε.* “ Animi virtus quærenda est, quam “ et ante opera Deus novit.” Cui geminum est illud Hieronymi ad Matt. xi. 30^x; “ In lege opera requiruntur, quæ qui fecerit, vivet in eis; in evangelio “ voluntas quæritur, quæ etiamsi effectum non habuerit, tamen præmium non amittit.” Recte itaque monuit Grotius^y, in dictis veterum quibus per fidem, etiam ante opera, justificari homines affirmant, fidem eam intelligi, quæ propositum obediendi Deo et nunc evangelio, accensum Dei et proximi dilectione, si nondum exactissima, certe sincera, includat; quod dicitur *toto corde credere*, Act. viii. 37. Talis autem fides, (pergit idem Grotius,) quam statim mors subsequitur, sine operibus dicitur, non quod non pias cogitationes comites sibi habeat,

^t Vide Davenant. Disput. de Just. Act. c. 30. in arg. ultimo. [p. 390.]

^u [Hom. XVI. vol. IX. p. 612.]

^x [Vol. VII. p. 74, 75.] ^y In prior Annot. ad Jac. ii. 14.

sæpe et dicta et facta aliqua pia, sed quod tractum seriemque factorum conspicuorum (id enim τὰ ἔργα pluraliter dicta significant, quod πολιτείας vocant Græci sæpe, sæpissime autem Chrysostomus) tempore interclusa non ediderit. Summam autem totius hujus doctrinæ idem vir incomparabilis alibi dilucide admodum et succincte explicavit his verbis^y; “ Ubi
 “ fides ad eum devenit gradum, ut sincerum pariat
 “ obedientiæ propositum, quod esse non potest sine
 “ dilectione Dei et proximi, quanquam ea dilectio
 “ multum adhuc recipere profectus potest; ei qui
 “ talis est, id est, fidem habet formatam, ut loquun-
 “ tur catholici, fidem non in solo intellectu, sed et
 “ in voluntate consistentem, ut Melanchthon, jam
 “ plane condonantur peccata, et, si talis moriatur,
 “ jus habet ad vitam æternam atque cœlestem, quia
 “ Deo pro summa sua bonitate ita visum est. Si
 “ vero vita post id conceditur, ad jus illud retinen-
 “ dum requiritur jugis pia operatio, et imprimis ab-
 “ stinentia ab omnibus illis^z criminibus, quæ con-
 “ scientiam vastant, et a regno cœlesti hominem
 “ excludunt. Est enim condonatio plena et jus ad
 “ vitam æternam datum hac lege atque omine. Hæc
 “ est doctrina apostolorum, veterumque omnium.”
 Addo ego, et ecclesiæ etiam nostræ; quæ constanter docet, gratiam justificationis, per fidem vivam prius adeptam, non nisi continuo insuper bene operandi cursu posse custodiri. Patet illud ex verbis Chrysostomi de fidei latrone supra allatis, quæ et citat et suo calculo comprobatur ecclesia nostra; “ Certe
 “ si supervixisset fidei, et bene operari neglexisset,

^y In Annot. ad Consult. Cassand. ad art. 4.

^z Quænam illa sint, ostendunt loca 1 Cor. vi. 9, 10. et Gal. v. 19, 20, 21.

“ excidisset a salute.” Sic in secunda parte Homil. de Salute, veterum sententiam, qua justificari nos gratis docent, explicat his verbis^a; “ Cum dicunt, “ justificari nos gratis, non illud volunt, posse nos “ deinceps otio indulgere, nihilve in posterum a “ parte nostra requiri,” &c. Denique ecclesia nostra in articulo 16. expresse docet, “ Postquam accepe- “ rimus Spiritum Sanctum, posse nos in peccatum “ labendo a gratia data recedere.” Eandem et hic etiam doctrinam tradunt Augustani, qui in articulo 11. “ damnant Anabaptistas, qui negant semel “ justificatos iterum posse amittere Spiritum San- “ ctum.” Et in articulo vicesimo de operum obe- “ dientia docent, “ Eos, qui admittunt peccata mor- “ talia, non esse justos, quia Deus requirit hanc “ obedientiam, ut resistamus vitiosis affectibus. Qui “ autem non repugnant, sed obtemperant iis contra “ mandatum Dei, et admittunt actiones contra con- “ scientiam, hi sunt injusti, et neque Spiritum San- “ ctum, neque fidem, id est, fiduciam misericordiæ “ retinent.”

10. Jam huic disceptationi pro coronide subjiciam insigne testimonium viri longe doctissimi, atque Anglicanæ ecclesiæ dignissimi præsulis, qui sanam, orthodoxam, adeoque ecclesiæ nostræ, in hac controversia, doctrinam et optime novit et fideliter retinuit, ac denique contra Bellarmini aliorumque pontificiæ partis strophas et machinas, si quis alius, felicissime propugnavit. Is est magnus ille Davenantius, Sarisburiensis episcopus, qui in eruditissimis suis Disputationibus de justitia habituali et actuali. cap. 31. quicquid vel hic, vel alibi in Dissertationibus

^a Pag. 16.

nostris de bonorum operum necessitate adseruimus, duabus thesibus brevibus quidem illis, sed luculentis, sic explicat confirmatque^b.

“ Conclusio quinta: Bona quædam opera sunt
 “ necessaria ad justificationem, ut conditiones con-
 “ currentes vel præcursoriæ, licet non sint necessaria,
 “ ut causæ efficientes aut meritoriæ. In hisce bonis
 “ operibus numero illa interna, quæ apud Deum ma-
 “ gni momenti sunt, quamvis in hominum oculos
 “ non incurrant; utpote dolere de peccato, detestari
 “ peccatum, humiliter se Deo subjicere, ad Dei mi-
 “ sericordiam confugere, in Christo Mediatore spem
 118 “ figere, novæ vitæ propositum inire, aliaque consi-
 “ milia. Divina enim misericordia non justificat
 “ stipites, hoc est, nihil agentes, neque equos et mu-
 “ los, hoc est, recalcitrantes, et libidinibus suis ob-
 “ stinate adhærescentes; sed homines, eosdemque
 “ compunctos et contritos, ac Verbi Spiritusque di-
 “ vini ductum sequentes———Atque hic notan-
 “ dum, quando dicimus aliquid necessarium esse
 “ ad hoc vel illud obtinendum, ex ipsa vi verborum
 “ non innuitur necessitas causalitatis, sed ordinis.
 “ Quamvis itaque concessero hanc propositionem,
 “ *Opera bona sunt necessaria ad justificationem,*
 “ non potest statim inferri, esse necessaria ut causas,
 “ multo minus ut meritorias. Verbi causa, si dixerò,
 “ ad obtinendam equestrem dignitatem necessarium
 “ est adire aulam regiam, atque coram rege in genua
 “ se demittere; inepte quis inde intulerit, ipsam ac-
 “ cessionem sive adgeniculationem esse causas me-
 “ ritorias obtentæ hujus dignitatis; ita et de illis
 “ omnibus operibus statuendum est, quæ ex parte

^b Vide et cap. 30. Thes. I. Arg. 2.

“ nostra dicuntur ad justificationem obtinendam ne-
“ cessaria.

“ **Conclusio sexta.** Bona opera sunt necessaria ad
“ justificationis statum retinendum et conservandum,
“ non ut causæ, quæ per se efficiant aut mereantur
“ hanc conservationem; sed ut media seu conditi-
“ ones, sine quibus Deus non vult justificationis gra-
“ tiam in hominibus conservare. Atque hic eadem
“ opera recenseri possint, quæ in conclusione præ-
“ cedente designavimus. Nam uti nemo recipit jus-
“ tificationem illam generalem, quæ liberat a reatu
“ omnium præcedentium peccatorum, nisi concur-
“ rente pœnitentia, fide, novæ vitæ proposito, aliis-
“ que ejusdem generis actionibus; ita nemo retinet
“ statum a reatu liberum respectu peccatorum con-
“ sequentium, nisi mediantibus iisdem actionibus,
“ credendi in Deum, invocandi Deum, mortificandi
“ carnem, assidue pœnitendi et dolendi de peccatis
“ assidue admissis. Ratio, cur ex parte nostra ne-
“ cessario requirantur hæc omnia, illa est, quod hæc
“ abesse non possint perpetuo, ut non adesse incipi-
“ ant illorum opposita, quæ pugnant cum natura
“ justificati. Nam si sustuleris fidem in Deum et
“ invocationem, succedunt infidelitas, et contemptio
“ divini Numinis; si dempseris studium mortifica-
“ tionis, et exercitium pœnitentiæ, irrumpunt con-
“ cupiscentiæ dominantes, et peccata vastantia con-
“ scientiam. Quia igitur Deus non vult incredulos,
“ obstinatos, carnales frui beneficio justificationis,
“ requirit assidua opera fidei, pœnitentiæ, mortifica-
“ tionis; quorum præsentia quasi foras extruduntur,
“ et procul arcantur incredulitas, obstinatio, secu-
“ ritas, aliaque gratiæ justificantis venena, atque
“ particularium peccatorum particularis condonatio

“ obtinetur. Hinc Paulus ad Rom. viii. 13, *Si secundum carnem vixeritis, moriemini*; et ad Hebræos iii. 12, *Videte ne forte sit in aliquo vestrum cor malum et infidele, discedendo a Domino,*” &c. Atque hæc de necessitate bonorum operum, quæ ideo ex articulis imprimis atque homiliis nostris fuisserat disserui, ne quis posthac ex Antinomorum fæce in sanctissima ecclesiæ nostræ doctrinâ pestiferæ suæ hæreseos patrocinium quæreret.

11. 3°. In hac porro quæstione sedulo cavendum est Pelagii hæretici dogma, atque ita credenda bonorum operum necessitas, ut agnoscatur etiam, idque animatus, præpotentioris gratiæ adiutorium prorsus necessarium esse, ut quis opera vere bona, hoc est, ad salutem grata, præstare valeat. Ex gratia profluit justitiæ nostræ initium, augmentum, complementum. Dat gratia peccatoribus fidem et pœnitentiam; dat fidelibus bonam vitam; dat bene viventibus perseverantiam; dat perseverantibus justitiæ coronam. Ita nemo est, cui hæc gratia non sit ad justitiam necessaria; ea indiget peccator, justitiam ut acquirat; justus, ne amittat. Ita gratia Dei in omnes, et per omnia principatum obtinet. Scilicet recte monuit Cœlestinus ad episcop. Gall. cap. 12.^c “ Omnium bonorum affectuum atque operum, et omnium studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei attenditur, Deum profiteamur autorem, et non dubitemus, ab ipsius gratia omnia hominis merita præveniri,” &c. Paulinarum certe Epistolarum utranque fere paginam complet divinæ gratiæ præconium; crederes prophetica quadam *προλήψει* adversus Pelagium scriptas. Quin et Jacobus noster,

^c [Vide Cassiani opera, ed. 1628. p. 905.]

utut bonorum operum assertor strenuissimus, omnimodam tamen gratiæ necessitatem aperte agnoscit, gratuitam superni Patris donationem, tanquam omnis salutiferæ virtutis bonæque operationis fontem unicum, digito commonstrans: quin et a contrario errore, ut periculosissimo, Christianis omnibus omni cura cavendum docet, i. 16, 17, 18. Certissime itaque definivit Synodus Arausicana, Can. 7.^d “ Si quis
 “ per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut
 “ eligere, sive salutari, id est evangelicæ, prædicationi consentire posse confirmat absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, &c. hæretico
 “ fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei, in evangelio dicentis, *Sine me nihil potestis facere*; et
 “ illud apostoli, *Non quod idonei sumus cogitare* 119
 “ *aliquid a nobis, (quasi ex nobis,) sed sufficientia*
 “ *nostra ex Deo est.*” Et Can. 22.^e “ Nemo habet
 “ de suo, nisi mendacium et peccatum. Si quis autem habet homo veritatem atque justitiam, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, ut
 “ ex eo quasi guttis quibusdam irrorati non deficiamus in via.”

12. Nostris igitur diffisi viribus, Deum Patrem veneremur, tanquam omni boni fontem; Christum amplexemur, ut gratiæ canalem, per et propter quem vult Pater illam ad nos derivari. Ipsi jugiter adheramus; ex ejus plenitudine assiduis precibus exhauriamus *χάριν ἀντὶ χάριτος, gratiam gratia cumulatum*. Ab ipso unice pendamus; oculos ad ipsum elevemus, *ὡς τὸν τῆς πίστεως ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν,*

^d [Vide Cassiani Opera, p. 909.]

^e Consule articulos ecclesiæ nostræ 10. et 16.

Heb. xii. 2. Hoc nixum fundamento immotum stabit ædificium; sin nostris ipsorum viribus innitimur, infirma erit, cito corruet universa operum nostrorum, utut in conspectu hominum gloriosa, compages. “Sit itaque,” ut cum B. Hieronymo loquar^f, “totus nostri sermo ad Deum oratio: tota oratio et deprecatio extorqueat clementiam Creatoris; ut qui nostris viribus et studio salvari non possumus, illius misericordia conservemur.”

13. 4^o. ac postremo, Dum castra fugimus Pelagianorum, gratiæ necessitatem agnoscendo, videndum omnino est, ne in βάθος Manichaicæ ματαιότητος incidamus, liberum arbitrium atque humanæ industriæ cooperationem tollendo. Media, regia via hic etiam ingredienda, ut neque ad sinistram, neque ad dextram declinemus; quod tum demum fiet, si statuamus, cum gratia, sed sub gratia tamen, conspirare amice arbitrii libertatem. Nempe tritum quidem, sed et scitum est illud Augustini dictum g, “Si non est Dei gratia, quomodo salvat mundum? et si non est liberum arbitrium, quomodo judicat mundum?” Cui simile habet Bernardus^h “Tolle liberum arbitrium, non erit quod salvetur; tolle gratiam, non erit unde salvetur.” Neque igitur ita arbitrii urgenda libertas, ut inimici fiamus gratiæ; nec gratia sic prædicanda, ut liberum tollatur arbitrium. Ab utro horum errorum majus periculum sit, haud facile dictu est. “Nec enim” (Vossii τοῦ πάνυ verbisⁱ hic utor) “excitabit ignaviam nostram, qui libertatem negat; nec fræna injiciet superbiæ, qui

^f Lib. III. Dialog. adv. Pelag. p. 302, [§. 10. vol. II. p. 779.]

^g Epist. 46. ad Valent. [Ep. 214, 2. vol. II. p. 791.]

^h De gratia et lib. arb. [Op. ed. 1586. p. 1177.]

ⁱ Hist. Pelag. I. 1. [vol. VI. p. 553.]

“ gratiæ munus ignorat. Ad hæc non minus præ-
 “ dicari debet Dei justitia, quæ absque libero ar-
 “ bitrio nulla est, ac ejusdem misericordia, quam
 “ labefactant gratiæ inimici.” Majus autem vide-
 tur imminere periculum ab iis, qui arbitrii liberta-
 tem, quam qui gratiam negant, ut tandem concludit
 vir ille doctissimus; “ nam error eorum, qui gra-
 “ tiam impugnant, statim improbo se tumore prodit;
 “ eoque ubi evangelii lux clarissime fulget, vix alios
 “ aggredi audet, quam homines indoctos ac profanos;
 “ quales inscitia stultaque sui fiducia facile con-
 “ strictos tenet: præsertim si typhus accesserit glo-
 “ riæ sæcularis. At optimus et modestissimus quis-
 “ que magis eorum omnium fraudibus obnoxius est,
 “ qui, quod de Chaldæis in Policratico suo scribit
 “ Joannes Sarisburiensis, *fatalem quandam necessi-
 “ tatem rebus imponunt sub prætextu humilitatis et
 “ reverentiæ Dei; timentes, ne forte ipsius evacue-
 “ tur dispositio, nisi rerum eventus necessitas comi-
 “ tetur*: qui error humilitatis ac pietatis velamento
 “ tectus, quanto occultius, tanto periculosius in ani-
 “ mis hominum grassatur.” Aurea certe sunt illa
 Augustini verba, ab eodem clarissimo viro laudata,
 in *Julian. Homil. 53.*^k “ Quosdam nimia suæ volun-
 “ tatis fiducia extulit in superbiam: et quosdam
 “ nimia suæ voluntatis diffidentia dejecit in negligen-
 “ tiam. Illi dicunt: Ut quid rogamus Deum, ne vin-
 “ camur in tentatione, quod in nostra est potestate?
 “ Isti dicunt: Ut quid conamur bene vivere, quod
 “ in Dei est potestate? O Domine, O Pater, qui es
 “ in cœlis, ne nos inferas in quamlibet istarum ten-
 “ tationum, sed libera nos a malo.” Vere etiam et

^k [§. 8. vol. III. part. 2. p. 647.]

ex sensu veterum omnium (Grotio iudice) dixit Tertullianus¹: “ Non est bonæ et solidæ fidei, sic omnia “ ad voluntatem Dei referre, et ita adulari sibi unum- “ quemque, dicendo, nihil fieri sine nutu ejus, ut “ non intelligamus esse aliquid in nobis ipsis. Cæte- “ rum excusabitur omne delictum, si contenderimus, “ nihil fieri in nobis sine Dei voluntate,” nempe, ut recte Grotius, “ prædeterminante.”

14. Sed divinum plane est illud apostoli monitum ad Philippenses ii. 12, 13: *Cum timore et tremore vestram ipsorum salutem conficite; Deus enim est, qui efficit in vobis et ipsum velle et agere pro gratuita sua benevolentia*: q. d. Operemini salutem vestram cum summa animi modestia et humilitate; (ita enim interpretantur veterum plerique *μετὰ φόβου καὶ τρόμου*, ut idem sit, quod *μετὰ ταπεινοφροσύνης*) cum nihil ex vobis ipsis in salutis vestræ negotio præstare valeatis, ac necesse sit, ut gratia Dei in vobis ac vobiscum operetur. Vel; Operemini salutem vestram summo cum tremore ac sollicitudine, ne gratiæ Dei desitis, Spiritumque ejus extinguis, qui si vos deserat et derelinquat, actum est de salute vestra. Vel; Operemini salutem vestram summo cum studio
120 ac diligentia, ac nolite diffidere, ac si virium inopia non possitis id, ad quod hortor, implere; Deus enim in toto hoc negotio vobis cooperaturus est, et pro benevolo suo affectu ad difficultates omnes perumpendas adfuturus. Quoviscunque modo verba apostoli interpreteris, certe irresistibilem gratiæ operationem funditus evertunt. Quorsum enim tam seria apostoli adhortatio, ut salutem nostram operemur, si non operari non potuissemus?

¹ [De Exhortatione Castitatis, 2. p. 519.]

15. Modum quidem concursus gratiæ divinæ cum humana voluntate exacte definire, ac dicere, quid sola præstet gratia, quid cum et sub gratia liberum agat arbitrium, non exiguæ difficultatis res est. Imo hoc ipsum inter Θεοῦ βάθην et ἀνεξιχνιάστους τὰς ὁδοὺς non immerito fortassis a viris doctis ac piis reponitur. Ideoque serenissimi regis nostri autoritate ac summa prudentia cautum est, ne quis nostratium theologorum pro concione aggrediatur ἀνεκδιήγητον illud mysterium explicare. Sed modum rei utcunque ignoremus, res ipsa certe firmiter credenda est.

16. Atque hæc sunt, Christiane lector, quæ tibi, animo penitus infigenda, visum est nobis quasi inculcare, ne vel nostras Dissertationes minus recte intelligeres, vel in hac maximi momenti quæstione, tuæ salutis periculo, a vero aberrares.

Τὰυτ' εἰδὼς σοφὸς ἴσθι, μάτην δ' Ἐπικουῖρον ἔασον
Ποῦ τὸ κενὸν ζητεῖν, καὶ τίνας αἱ μονάδες.

Tricas scholasticas, operosas nugas, doctas ineptias permitte aliis, quibus easdem sectari et cordi et curæ est. Tu, hæc si noveris, sapiens eris; si et vitam agas hisce consentaneam, beatus.

*Trin-uni Deo, Patri, Filio et Spiritui Sancto,
sit laus, honos et gloria, in sæcula sæculorum.
Amen.*

FINIS.

POSTSCRIPTUM

AUTHORIS AD LECTOREM.


[IN PRIMA EDITIONE.]

SCIAS velim, (benevole lector,) Dissertationes hasce una cum præmonitione præfixa ante aliquot annos a me (tunc admodum juvene^m) conscriptas præloque fuisse destinatas. Causas, cur serius prælo exierint, nunc non est narrandi locus. Pene autem me facti jam pœnitet, quod immaturum opus tandem aliquando in lucem prodire permiserim; præprimis cum materia, quam tractamus, et subactiori judicio et exactiori cura sit dignissima. Sed plane doleo macerorque, scriptiunculam ex se nimis imperfectam, ac de authoris sui imbecillitate satis testantem, tam fœdis insuper mendis dicam? an portentis typographicis (qua ab interpunctione, qua in verbis) deturpatam esse. Mihi vero ipsi prælo adesse nunquam licuit; et manum nostram satis intricatam, ubi festinamus, typographum subinde fefellisse, mirum non est. His malis candor tuus (L. Æ.) solus remedio erit. Itaque maximo opere te oro, ut hoc studii nostri theologici tirocinium in æquam bo-

^m Vide Apolog. contra Tullium, VIII. 5. GRABE.

namque partem accipias, errata simul typographicaⁿ, quæ subjiciuntur, graviora manu tua corrigendi laborem non refugiens; itidem cætera (recensioni nostræ tumultuariæ si quæ forte supererint) nobis benigne condonans. Iterum vale.

ⁿ [In prima editione versa pagina sphalmatum typographicorum segetem satis amplam exhibebat.]



Presbyterian Theological Seminary-Speer Library



1 1012 01147 5136

DATE DUE

~~NOV 06 2009~~

~~NOV 06 2009~~

HIGHSMITH #45115

